



1. Budder's Joh. Franc.  
Epistola in nocentiam  
quorundam Ministrorum  
Ecclesie in Silesia  
vindicanam spectans.  
1723.
2. Bücher's Christ. Friedr.  
thesen orthodox &  
1702.
3. Chladeny's Mart. J. Diff.  
sistenti deo maxiam ex  
confilio Gamahelis cauon.  
Jam, Wittenb.  
1718.



24.  
COMMENTATIO  
EXEGETICO - THEOLOGICA  
PSALMI OMNIVM  
DIFFICILLIMI LXVIII.

---

CVIVS  
PARTEM POSTERIOREM  
CONSENTIENTE  
SVMME VENERANDO THEOLOGORVM COLLEGIO  
IN IPSIS  
SVPREMORVM  
HONORVM THEOLOGICORVM SOLENNIBVS  
DIE XXVII. APRIL. A. O. R. MDCCXXIV.  
IN HAC ALMA LIPSIENSI PVBLICE CELEBRANDIS,  
EXHIBET

L. Johannes Gottlob Pfeiffer,  
SACROSANCTAE THEOLOG. P. P. ORDINAR.  
EANDEM

PRO LOCO  
IN LAVDATO THEOLOGORVM ORDINE  
MORE VETERVM OBTINENDO  
D. XVI. MAII EIVSDEM ANNI  
SOLENNITER CVM DEO VINDICATVRVS,  
RESPONDENTE  
M. ROMANO TELLERO,  
SS. THEOL. BACCAL.  
ET IN AEDE PETRINA CATECHETA.  

---

LIPSI AE,  
LITERIS IMMANVELIS TITIL



Ioh. Tarnouius in Comment. suo in Zachar.

p. 293.

**R**eliqui hoc aliis, chartae temporisque prodigis, ut alienis variorum  
auctorum plumis, dum sententias eorum enumerant, saltem ut vi-  
deantur lectionis plurimae, se ornent, & lectorem a se incertio-  
rem, quam acceperunt, dimittant, cum nec ipsi in tantis opinionum divor-  
tiis, ubi pedem figant, quoque se convertant, sciant.





## P R A E F A T I O.

**G**Ausa, cur hunc & non alium Psalmum, vel etiam dictum biblicum praesentis Dissertationis elegerim argumentum, haec maxime fuit, quod in hoc Psalmo ex Philologiae sacrae apparatu publice interpretando nostra occuparetur industria, cum a munere, quod adhuc in hac Alma gesseramus, docendi Linguae Orientales extraordinario, si qui nostrorum Commilitonum harum studio tenerentur, ad docendam extra ordinem in posterum sacrosanctam Theologiam iussu & auspiciis AVGVSTISSIMI NOSTRI NVTRITII evocaremur. Quum itaque



que mearum Praelectionum publicarum Hebraico-Philologicarum hic Psalmus esset quasi finis atque complementum, sic quidem illo tempore cum eius meditatione meditationes meas in Psalmos Davidis abrui publicas, ut statim animo mecum decernerem, initium libelli alicuius sacri aliquando publice scribendi ab hoc mysteriorum plenissimo Psalmo esse iterum faciendum. Non equidem ignoro, multorum summorum Theologorum atque Philologorum praeter eos, qui in integrum Psalmorum regionum librum commentationes suas memoriae prodiderunt, seorsim hunc inprimis sublimitate argumenti & difficultate styli facile reliquos superantem hymnum exercuisse studium ingeniumque, veluti **LVTHERI, CRAMERI, LUTKEMANNI,** & ex Reformatis **MARCKII,** aliorumque, nondum tamen omnes, easque profundissimas huius Psalmi abyssos ab his interpretibus omnibus, vel communibus vel specialibus exhaustas esse, Lector hunc Psalmum, eiusque genuinam mentem paulo altius rimatus facile concedet. Neque is ego sum, qui hac qualicunque mea scriptione atque textus interpretatione omnes ejus tenebras dissipasse, omnes nebulas dissipasse, & in solis quasi disco hunc Psalmum Lectori sensus cupido exposuisse, temere mihi praesumam. Cum tamen non coeco impetu praeceuntium Commentatorum vestigia legerim, neque mihi vel tantum  
otii



otii ab ordinariis meis laboribus, nec tanta interpretum copia fuerit ad manus, ut iis decenti studio euoluendis, & cum textu Hebraico conferendis tantum, quantum propriis meditationibus vacare potuerim, non quidem plane, quod non inuitus largior, nullas, nec tamen, quod spero, omnes cum aliis interpretibus nobis communes, sed aliquas nobis forte proprias Lector beneuolus hic offendet interpretationes, quas sane uerberiori eius diiudicationi, sicraeque perscrutationi lubens subiicio atque relinquo. Ceterum in omnibus huius libelli obseruationibus studio & de industria breuitati litauit, nec plura de argumento dicenda in his notis attuli, quam quae ad sensum uerum Lectori insinuandum atque persuadendum omnino ab interprete requiri uidebantur, cum non oratoris, sed interpretis sacri partes in hac lucubratione susceperim, nec breuitate iusta, sed nimia & interpretis limites transiliente rerum alienarum allatarum copia atque uertate Lectorem a lectione Commentarii deterreri non ignorem. Quae etiam causa fuit, cur ab aliorum vel nostratum, vel etiam externorum explicationibus censendis ubiuis fere abstinerim. Quod si enim de recta uia inuenda uiatori constat, quid opus habet, alias ab hoc suo tramite aberrantes; & aliorum ferentes uias sollicitius inquirere, vel operosius recensenti comiti cum magno temporis dispendio au-



rem beneuolam praebere. *Vt taceam, si omnium, tum veterum, tum recentiorum interpretum, a nobis in hoc argumento dissidentium, sententias adferre, easque examinare atque refutare nobis sedisset animus, non libellum breuem Academicum, sed scriptum confertumque Commentarium biblicum conscripturibus hoc fuisset opus atque labor. Nil itaque superest, L. B. quam ut, implorato optimi verborum suorum interpretis, Spiritus S. auxilio, aduocatisque in subsidium, si qua polles interpretandi virtute, regulis Hermeneuticis, has qualescunque nostras in hunc Psalmum conscriptas obseruationes attento animo cum ipsis fontium verbis conferas, & si mentem Spiritus S. nos forte adsecutos esse deprehendas, idem non tantum nobiscum sentias, sed & in succum & sanguinem, hoc est, ad fidei tuae vitaeque sanctae incrementum, quorsum omnis vera tendit Scripturae S. cognitio, sensum animo perceptum conuertas; quod si vero certiora scilicet edoctus, nos alicubi in interpretando a mente Spiritus S. recessisse uideris, nobis quidem, quippe per inuia & praerupta viarum ad sensum huius sublimis cantici penetrandum incedentibus, & planiorem viam monstranti libentissime secuturis, facile veniam dabis, ipse vero supremo Numini pro diffusiori huius Psalmi intelligentia tibi impertita gratias ex animo persolues, eamque, si sic occasio ferat, nobiscum participare,*

re,



re, pro tua in nos benevolentia, neutiquam omittes.

Antequam vero ad singulorum versuum explicationem nos accingamus, operae pretium erit, praemittere observationes quasdam generales, quae Psalmo integro lucem aliquam scenerari posse videntur. Annotamus ergo primo, totum Psalmum agere de Messia, & quidem non forte in sensu mystico, ita ut verba in sensu literali de alio quodam Heroe vel triumphatore Judaico, qui typus fuerit Messiae, quodque alias Scripturae V. T. solenne est, sint accipienda, sed totum Psalmum in sensu literali de ipso Messia, in primis vero de eius ascensione in coelos, sessione ad dextram Patris, & consequente conuersione gentium, totiusque adeo Ecclesiae Christianae regimine in his terris usque ad finem seculi, interpretandum esse, nos quidem existimamus, quod non tantum probat accuratior textus inspectio, talia continentis de hoc Triumphatore enunciata, quae nulli homini  $\Psi\lambda\omega$  commode possunt adplicari, sed & testis omni exceptione maior Apostolus Paulus hunc Psalmum de Christi in coelum ascensione, & inde fluentibus in genus humanum beneficiis Ephes. IV, 8. disertè interpretatus. Secundo vero meretur notari, quod ad pleniorē huius cantici cognitionem acquirendam Lectori saepius sit conferendum Canticum illud illustre atque egregium, a Debora & Barack



rack post insignem stragem ad internecionem usque Moabitarum, & interfectum Sifferam, in gloriam Numinis diuini decantatum, & Iud. V. in sacras literas relatum, quod vatem nostrum in componendo isthoc carmine triumphali ante oculos habuisse, multae locutiones mutuo inde accersitae, & a nobis infra suis locis allegandae solide demonstrant. Tertio, quantum ad stylum attinet, notamus, verba, quae primaria Poëtae vel Oratoris virtus est, a nostro vate rebus ipsis fuisse cum maxime accommodata. Cumque adeo Serenissimus Auctor huius carminis occuparetur in re sublimi, ardua, atque dignitatis & maiestatis plenissima describenda, vt eandem conuestiret stylo graui, arduo, & maiestati rerum verborum maiestate exacte respondentem, sicque adeo illi cothurnos, non succos, indueret, vtique par erat. Tandem ultimo loco notamus, per integrum hunc quoque Psalmum, quod alias in libro Psalmorum, vt & Prophetarum aliorum literarum monumentis non est infrequens, passim dari personarum in verbis mutationem, quod nos sigillatim infra in singulorum versuum commentatione observare non negligemus. His itaque generalibus interpretandi regulis praemissis, ad singulorum versuum distinctam explicationem progredimur, bono cum DEO iam exposituri



v. i.

למנצח לרור מזמור שיר:

**A**D hunc versum, qui titulum sive inscriptionem Psalms continet, nihil habemus, quod obseruamus, nisi quod peculiaris emphasis latere videatur in coniunctione vltimorum vocabulorum מזמור שיר. Quae verba cum itidem hoc modo coniunctim in titulis Psalms XXX. LXV. LXVII. LXXV. LXXXVII. contra vero in aliorum Psalms titulis, videlicet XLVIII. LXVI. LXXXIII. LXXXVIII. CIX. transposita legantur hoc modo שיר מזמור, non nudam Psalms praesentiam coniunctione horum duorum nominum, quod RIVETVS ad Psalms nostrum LXVIII. v. i. annotat, & nos quidem in scriptura hoc idiotismo saepius significari, lubenter eidem largimur, sed plus aliquid denotari existimamus. Differentiam itaque cantus, vocumque atque instrumentorum musicorum modulationem diuersam diuerso horum verborum positu significari facile quidem nobis persuaderi patimur; qualis vero illa fuerit vocum organorumque diuersitas, vix ac ne vix quidem a nobis, solidis litterarum monumentis *de Musica veterum* destitutis, exponi posse credimus. Probabilis omnino videtur sententia THOMAE GATAKERI, qui per שיר indicari vult hymnum sacrum *assa* tantum voce, per מזמור hymnum *ad strepitum Musicorum instrumentorum* canendum, per שיר מזמור vero hos intelligit Psalms, qui *vocibus & instrumentis simul* personabant, ita tamen ut in singulis versiculis decantandis *voces praerent, organa sequerentur*, contra in illis Psalms, qui inscribuntur שיר מזמור, *praerent organa, illae sequerentur*, id quod postmodum variis testimoniis ex Veterum scrip-

B

ptis



ptis studiose collectis confirmare nititur. Vid. eius *Cinnus s. aduersarior. Miscell.* l. i. c. 10. p. 237. in *Oper. collectis.*

v. 2.

יָקוּם אֱלֹהִים יַפְרֹצוּ אוֹיְבָיו וַיְנוֹסוּ מִשְׁנֵאֵי מִפְּנֵיו :

*Obseru.* 1. Verba haec mutuo accepit Hieropsaltes ex Num. X. v. 35. Et recte. Quemadmodum enim ibi Moyses cum arca foederis, quae erat typus Messiae Rom. III, 25. surgeret, vt ex deserto iter faceret in Palaestinam, Deum singulari ratione ad arcam foederis praesentem his ipsis verbis alloquebatur; sic etiam hoc loco David Messiam, tanquam antitypum, per ascensionem suam in coelos, ex deserto huius mundi, & ex statu suae exinanitionis transiturum in coelestem Palaestinam in statum exaltationis suae, iisdem verbis alloquitur. Hinc etiam יָקוּם interpretatur surge vel furgat, *optantis* vel *precantis* sensu, non *indicantis* vel *vaticinantis*, interprete Moyse, Num. X. v. 35. Alias hoc vocabulum de Deo usurpatum significat propositum Dei, vel ab hostibus suis supplicium sumturi, vel suis etiam auxilio venturi, aut aliud quidpiam singulare opus edituri, vid. Pf. X, 12. XII, 7. CII, 14. it. GLASSII *Phil. S. l. V. tr. I. c. 7. p. 1584.* Hic loci vero de *motu locali Messiae*, & profectioe sua in coelos, vocabulum explicandum esse existimamus, quod arca foederis, typo Messiae, in deserto ad iter faciendum in altum elevata, eodem verbo Deum sic alloquebatur Moyses. Per אֱלֹהִים intelligimus ipsum Messiam, uti Psalm. XLV. v. 7. 8. *Obseru.* 3. יַפְרֹצוּ Hic datur α) ἀλλεψis particulae γ *tunc*, quae habetur Num. X. v. 35. β) Sunt haec duae propositiones aequipollentes, cuiusmodi propositionibus geminatis saepius in Scriptura vel *certitudo*, vel *intensio rei* significatae ἐπιφασίως exprimitur. Exempla plurima in literis sacris, maxime in *Psalms*, passim occurrunt. Hic loci hosti-



hostium Messiae, tum corporalium, tum spiritualium, plenariam destructionem post ipsius ascensionem in coelos significari, etiam ex consequente versu tertio solide, ni fallor, adparet.

v. 3.

כהנרף עשן תנרף כהמט דונג מפני אש יאכרף  
רשעים מפני אלהים :

*Observ. 1.* Plenius & distinctius hoc versu destructio hostium Messiae describitur, qualis illa sit futura, qualis scilicet est fumi a vento disiecti, vel caerae ab igne liquefactae & absumptae, h. e. tam plenaria, tamque perfecta, ut nec vola nec vestigium eorum amplius sit super futurum. 2) Haec vero victoria de hostibus suis *versu antecedente in genere* tantum descripta, ipsi in praesenti versu tribuitur Messiae in coelum ascendenti, quod ipse scilicet iam ad dextram Patris elevatus, & sic maiestatis usum plenissimum adeptus, hostes suos per se, non per alium, sit destructurus. 3) Notanda etiam duplex Paronomasia perquam venusta, primo in verbis כהנרף תנרף, quam causam etiam fuisse dicimus, cur in *Niphal* Infinitivus a nostro Vate fuerit adhibitus irregularis; deinde in verbis אש מפני כהמט. Cetera sunt clara.

v. 4.

ו צדוקים ישמחו יעלצו לפני אלהים וישישו בשמחה :

*Observ. 1.* Sequitur amplificatio a contrario, scilicet de laetitia piorum ob Christum exaltatum, hinc γ initiale verendum per *contra*, sive per *At*, uti Psalm. I. 6. & passim alibi, maxime in Proverbiis Salomoneis. 2) Sunt iterum duae propositiones aequipollentes. Prior: *Iusti gaudebunt & exultabunt coram Domino*, posterior: *& laetabuntur in laetitia*, ad intensissimum & summum gaudium piorum exprimentum.

B 2



dum. 3) Notetur differentia inter שמור & עלץ, quorum illud gaudium, maxime internum animi, atque adeo infimum gaudii gradum, hoc vero idem illud gaudium, sed ob magnitudinem suam arctioribus animi cancellis non amplius coercendum, sed in externos corporis gestus laetantium maxime proprios, veluti saltus, & alios hilares corporis motus erumpens, atque adeo summum gaudii huius spiritualis gradum denotat, cuius gaudii exemplum ipse dedit aliquando David, cum ex domo Obed Edom arcam foederis transferret in montem Sionis, 2. Sam. VI, 12. 13. qualem locutionem de gaudio spirituali piorum etiam ipse adhibet in N. T. Christus: χαίετε (hoc est Hebraeorum שמור) καὶ ἀγαλλισθε (hoc est ipsorum עלץ) Matth. V, 12. quod minus emphasi vocum congruenter expressit in praesenti loco B. LUTHERVS: **Seid fröhlich und getrost, rectius in loco parallelo Luc. V, 23. Freuet euch alsdenn, und hüpfet.** 4) Notetur acceleratum requirit *adfectus laetitiae*. Tandem circa ultima verba בשמחה ישמרו notetur 5) Idiotismus Hebraicus, vbi verbum apud Hebraeos cum suo coniugato vel cognato constructum auget & intendit verbi ipsius significationem. Exempla vid. apud GLASS. l. c. l. III. tr. 3. *Canon.* 32. p. 848. Alibi noster Psalter, eandem loquendi rationem in eodem argumento expressurus, duo adhibet verba per 7 copulata וישמרו וישירו Ps. XL, 17. quorum duorum locorum unus alterum eleganter explicat.

v. 5.

שירו לאלהים זמרו שמו סלו לרכב בערבות  
 ביה שמו ועליו לפניו:

*Obseru. 1.* Cultus diuinus, huic triumphanti Messiae exhibendus, describitur iisdem fere verbis, quibus alias describitur cultus cum triumpho introëntis urbem alicuius regis



gis atque principis, quem ipsi exhibent cives sui. *Observ.* 2. *Quatuor* vero requiruntur hic a civibus regni Christi Regi suo triumphanti persolvenda officia, quorum *primum*, canite Domino, scil. *assu* tantum *voce*, nullis adhuc admittis instrumentis Musicis, *secundo*, psallite, quod fit instrumentis Musicis adiectis: quae duae propositiones ratione obiecti sunt *ισοδοσαμῶσαι*. Deus enim & Nomen eius reapse vnum sunt. Atque hinc etiam fit, quod saepius, maxime in Psalmis *ἑξολογηκῶσις*, in duabus propositionibus aequipollentibus vnum nomen pro altero *ἐξηγητικῶσις* ponatur. Vid. Pf. VII, 18. XX, 2. XXXIV, 4. XLIV, 9. LXVI, 2. LXXII, 18. 19. LXXXVI, 12. XCVI, 2. C, 4. CIII, 1. & plures alios. *Tertio* exaggerate viam subiecto per loca campestria. Quorum verborum sensum nobis omnium optime recludit Jesaias, in loco parallelotum qua rem, tum qua verba c. XL. v. 3. *ישר בערבה*: *מסלה לאלהינו* *rectificate in campestribus locis viam planam Deo nostro*. confer etiam Jef. LVII, 14. & LXII, 10. vbi dicitur *סליו סליו המסליו*. Ex quo ultimo loco simul adparet, vocabulum *מסליו* in praesenti nostro versu, vbi nudum occurrit *סליו*, esse subintelligendum, ut integra adeo phraseologia haec sit *סליו מסלה לרכב*. Haec vero complanatio viarum in deserto, sive locis campestribus, fit per hominum rudium adhuc, incultorum, (quales solent esse viae in desertis locisque campestribus,) nondumque conuersorum ad Messiam veram & seriam conuersionem, interprete horum verborum optimo Jesaias, citato c. XL, 3. 4. sequi. Nobiscum facit Versio Italica GIOV. DIODATI: *Rilevate le strade à colui, che cavalca per loci deserti: egli scibiamma per nome, Il Signore, e festeggiate davanti à lui.* Et in Nota subiecta: *Termini tolti da quello, che s'usa nell' entrate irionfali delli rè, a quali si va incontro, spianando, & racconciando i camini rotti & aspri & ingombrati.* *Così è*



*significato l'apparechio della condotta dell' Arca: ma principalmente le preparazioni spirituali alla venuta di Christo nel mundo, che è un vero deserto, voto d'ogni giustitia, bene, e vita, fatte de Profeti, & principalmente da Giouanni Battista. II. LX. v. 3. Mal. III, 1. & Matth. III, 3. Ut vero clarius constet, quinam sit ille, qui vehitur per campestria & inculta loca, describit eundem Hieropsaltes, quod eius nomen sit in Iab. Sic enim dicimus, per adiectionem vocabuli אשר, quod saepius affixo subsequente omittitur, verba ita esse vertenda: : ביה שמו אשר cuius nomen est in Iab. Phrasin vero ipsam ביה שמו ביה שמו ביה שמו citra pleonasmum particulae ב, Filii Dei sive Mesiae descriptionem esse existimamus, ita ut particula ב ordinariam suam significationem In etiam in hoc loco retineat. Hinc verba supra sic vertimus: Cujus nomen est IN Deo. Scilicet ut Deus Pater Angeli, multitudinis Israelitarum in deserto ducis, qui nullus alius erat, nisi filius Dei, sive Angelus ille magni foederis, reuerentiam honoremque hoc argumento maxime commendat, quod, inquit, בקרבו שמי nomen meum in ipso est, hoc est, mea dignitas, excellentia, imo ipsa mea essentia atque natura diuina Exod. XXIII. v. 21. sic hoc loco Vates noster, Mesiam a diuinitate sua descripturus, dicit, quod nomen eius, qui per inculta & campestria inuehitur, sit in ipso Deo scil. Patre, ad eandem Patris & Filii essentiam atque naturam diuinam designandam. Fere vt Christus ad Thomam Joh. XIV. v. 10. An nescis, inquit, quod Pater in me sit, & ego in Patre, item in Oratione sua πρὸς τὸν πατέρα ib. c. XVII, 2. Ut omnes sint unum, quemadmodum tu, Pater, in me, & ego in te. Ex quibus locis parallelis adparet, in explicanda notione particulae ב non opus esse, ut confugiamus cum aliis interpretibus ad coactius illud asylum pleonasmī, sed usitatam eius signifi-*



ficationem commode hic posse retineri. Fauet nostrae interpretationi Versio Hispanica: *En Jab es su nombre*. Vocem ipsam vero יָה esse Synonymum Dei veri, probatur ex Psalm. CL, 6. aliisque locis scripturae. Plura alias de hoc nomine divino vid. in LEUSDENII *Philologo Hebraeo* diff. XXX. §. 4. p. 321. BUXTORFFII *Diss. Phil. theol.* diff. V. §. 34. p. 263. NOLDII *Concord. Partic.* in not. n. 748. p. 891. HOLTZFUS *Diss. theol. de Nominibus Dei* c. I. §. 13. p. 13. in primis GEORG. SCHWARTZII *Diss. Phil. de Nominibus diuinis* אהיה & יָה W. 1679. Quarto tandem adiungit Prophetata noster, & *exultate coram ipso*, quod verbum eiusdem est significationis cum verbo עָרַץ de quo supra v. 4. *Observ.* 3. Elegans vero in his *quatuor verbis* datur *gradatio* s. *climax*. Nam *primum* cives regni Christi iubentur nuda tantum voce Christo hymnos canere, *deinde*, quod plus est, instrumentis Musicis eidem psallere, *tertio*, quod altius est, complanare viam, & *demum*, quod summum est, prae gaudio animi exsillire, atque tripudiare.

v. 6.

אָבִי יְהוָה וְיִתְּנוּ לִי אֱלֹהִים בְּמַעַן קִדְשׁוֹ  
*Obs.* 1. Describitur hic Dominus, cui via erat praeparanda, *primo* a sua misericordia, *Pater pupillarum*, *secundo* a sua iustitia, *Judex viduarum*, *tertio* a sua maiestate atque gloria, *Dominus in habitatione sanctitatis suae*. *Obs.* 2. *Judex viduarum*, non vero *maritus* dicitur, quo ipso significatur α) viduas ut plurimum esse personas miseras, afflictas, variisque impiorum iniuriis & vexationibus expositas: neque tamen β) ubiuis iustae suae causae inuenire patronos, sed ob potentiam suorum aduersariorum saepius iustissima sua causa excidere, iuxta Eccles. IV, 1. interim tamen γ) ne sic quidem omni prorsus auxilio atque praesidio lamentabiles



les istas personas esse destitutas, quod Deus ipse, iustus iudex, causam ipsarum ab hominibus deserviam sit acturus, quale auxilium, suaeque causae praesidium frustra interdum uxor a marito expetit atque expectat. Conf. omnino Exod. XXII, 22. seq. & Ecclef. III, 16. 17. *Obs.* 3. dicitur Dominus in habitatione suae sanctitatis, h. e. secundum Idiotismum Hebr. in habitatione sua sancta, per quam intelligitur Tabernaculum Moysi, in quo Deus singulari modo suam praesentiam atque maiestatem exhibebat. Vid. Zach. II, 17. Vocatur alias mons sanctitatis Dei Pf. II, 9. habitaculum, domus Dei, & locus habitationis gloriae eius, Pf. XVIII, 8.

v. 7.

אלהים מושב יחודים ביתה מוציא אסירים בכושרות  
אך סוררים שכנו צחיהו:

*Observ.* 1. Describitur hic Dominus adorandus atque celebrandus *quarto* à sua potentia, per quam *primo* homines in solitudine, & in locis ab omni hominum consortio remotis hucusque viuentes restituit in domum numerosa foetore, atque aliis domesticis refertam. Sic enim placet haec verba potius de solitudine loci, & restitutione hominis, in eiusmodi solitudine huc dum viventis, in loci celebritatem & familiam numerosam, quam de sterilitate hominis *אֲרֵיבָה*, eiusque subsequente foecunditate tori interpretari, quo sensu David ipse, haud sane vsquam de sterilitate domus suae conqueustus, conqueritur se esse, maxime cum adhuc in deserto haereret, יחיד ועני *solitarium* & *adflictum* Psalm. XXV, 16. Nec obstat locus parallelus Pf. CXIII, 9. Ibi enim vi Accentuationis vocabulum *domus* non est construendum cum antecedente verbo remotiore, uti hoc loco מושב, sed cum immediate antecedente עקרת, uti recte verba verit B. SCHMIDVS, habita ratione Accentuationis. *Qui habitare facit steri-*



*sterilem domus, matrem filiorum laetam.* *Obseru. 2. Alterum* argumentum *potentiae* huius nostri Domini est, quod innocenter victos captivosque e vinculis educit prospere, sive prospero atque felicissimo successu. Vocabulum enim כושרות, quod alibi non occurrit, rectius videtur vertendum in *prosperitatibus*, id est *prosperrime*, quam in *rectitudinibus*, vel etiam *compedibus*. Militat pro hac nostra sententia partim radix כשר, quae significat, prospere vel feliciter successit, quo sensu adhibetur Cohel. XI, 6. vbi recte LUTHERVS: *Frühe säe deinen Saamen, und laß deine Hand des Abends nicht ab, denn du weißest nicht, ob dies oder das gerathen wird*; partim harmonica huius vocis significatio tum in lingua Syriaca כַּשְׂרָא tum etiam Chaldaica כשר. Hinc Syrus:  $\text{כַּשְׂרָא בְּכַפְּיָא וְזָרְקָא}$  quod vertitur: *Et educit victos cum prosperitate.* Targum vero:  $\text{דַּמְפִּיק בֵּית יִשְׂרָאֵל דְּהוּוּן אֲסִירֵין בְּפֻמְבֵּר בְּמִצְרַיִם עַל עֹבְדֵי הַחַוּוֹן דַּאֲבַתְתַּחֵן כְּשֵׁרֵין בְּפֻמְבֵּר$  hoc est: *Qui eduxit Israelitas, qui fuerant victi in Aegypto propter opera patrum suorum, prosperos cum pompa.* Huic vero voci praemissa particula ב, si construatur, vti hoc loco, cum antecedente voce הוציא, nunquam denotat in scriptura *terminum ad quem* educationis, sed vel *tempus* educationis, vel, quod frequentissime fit, educationis *modum*. Conf. Ef. XL, 26. Exod. VII, 4. Deut. VI, 21. & inprimis Ier. XXXII, 21. Alias ipsum nomen, cui hæc particula ב praemittitur, exponendum est per Latinorum *aduerbium*, vid. Gen. XXXIV, 13. Pl. IX, 9. Nec caret emphasi, quod vocabulum, cui praefigitur, occurrit non in *singulari*, sed in *plurali*, quo ipso significatur, non qualiscunque, sed exoptatissimus, beatissimus atque felicissimus successus. Vide Psalmum allegatum IX, 9. vbi



itidem eodemque sensu occurrit pluralis לְאֹמִיִם במישורֵי. Conf. LVDOV. de DIEV *Critica Sacra* p. 147.  
*Observ. 3.* Sequitur tertium potentiae Domini nostri argumentum a contrario depromptum. *Contra rebelles habitant siticulosam.* Vbi *observ. 4.* אֵךְ vertendum esse per *contra*, at, vti in hoc ipso Psalmo v. 22. eadem partic. occurrit, quo sensu etiam vertit TARGVM בְּרִיב *Verum.* Vid. Ef. XLI, 26. *Observ. 5.* per סוֹרְרִים intelliguntur generatim homines impii, adversus Deum rebelles: quo sensu verbum adhibetur de immorigero & semper retrocedente Israële, Hof. IV, 16. vbi simul metaphora vocis euoluitur, deprompta scilicet a vacca petulante, & magis in via, qua ipsam ducit pastor, retrocedente, quam procedente: item de filio immorigero Deut. XXI, 18. *Obs. 6.* שִׁכְנֵי צְהָרָה. Vocabuli צְהָרָה, quod tantum hoc loco legitur, significatio facile eruitur partim ex vocibus coniugatis, v. g. צָהָה *Ies. V, 13.* צְהָרִים *Nebem. IV, 53.* & צְהָרִים *Ies. LVIII, 11.* quibus verbis loca arida, sicca, & omnibus arboribus, frugibus atque herbis denudata, eaque propter deserta, inculta, & hominum commercio destituta significantur; partim ex opposita voce in antecedente hemistichio בְּרִיב, quam diximus significare domum, siue locum hominibus frequentem. *Observ. 7.* Integram vero phraseologiam, *Inhabitare locum eiusmodi desertum, aridum & siticulosum,* omnium optime interpretatur *Fer. c. XVII, 5. 6.* ex quibus locis inter se collatis adparet, quod, quando impii dicuntur inhabitare desertum, siue locum siticulosum, his ipsis verbis summus miseriae impiorum describitur status, in quo, tametsi omnibus commoditatibus atque deliciis huius mundi circumfluant, tamen, cum destituantur gratia Dei, hoc ipso simul destituantur omnibus bonis veretalibus, vereque hominis adpetitum satiantibus; quae ipsis  
 vero



vero adhuc adiacent bona corporalia atque terrena, ea veluti omnis solatii, refrigerationis, & solidi boni expertia, fitim eorum magis accendunt quam restingunt.

v. 8.

אלהים בצאתך לפני עמך בצעודך ברישיתך:

*Obs. 1.* Haec verba paucis mutatis depromsit Auctor ex Iud. V, 45. *Obs. 2.* Notanda personarum mutatio, quam in Psalmis esse frequentissimam, iamdiu interpretes tum Iudaei, tum Christiani observarunt. Cum enim in versu. allocutus esset cives regni Christi ad rite excipiendum regem suum triumphantem, iam ipsam alloquitur regem Messiam. *Obs. 3.* Fit autem in hoc & sequentibus versibus elegans oppositio inter promulgationem solemnem doctrinae legis, & doctrinae Evangelii tempore Messiae. *Obs. 4.* de promulgatione legis agitur v. 8. & 9. cuius annotat Auctor *a) tempus v. 8. b) modum v. 9.* *Obs. 5.* Tempus ipsum describit duabus propositionibus aequipollentibus: *O Deus, cum anteires populum tuum*, quae phraseologia significat, ad instar ducis exercitus, Deum in deserto antecessisse populum Iudaicum. Vide hoc sensu phraseol. vsurpatum Iud. IV, 14. Vbi non male maioris explicationis gratia TARGVM addit: *In columna nubis, & in columna ignis.* conf. quoque Exod. XIII, 21, sequi. Altera propositio, prioris *עָנַף עֲנַף*, clarius adhuc describit tempus legalis huius promulgationis: *Cum ingrederis in deserto*, scil. vasto illo Arabiae deserto, per quod Israëlitae quadraginta annos iter fecerant, dicto alias מַדְבַּר Ps. LXXXVIII, 40. & CVI, 14. & quod describitur tanquam maxime horridum & desolatum, Deut. I, 19. & XXXII, 10.

C 2

v. 9.



v. 9.

אֶרֶץ רַעֲשָׁה אֵף שְׁמִירָם נִמְפָּר מִפְּנֵי אֱלֹהִים זֶה סֵנִי  
מִפְּנֵי אֱלֹהִים אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל:

*Obs. 1.* Iam describitur *modus legis promulgationis*, & quidem *partim generatim*, quod magno terrae coelique motu, qui omnibus adstantibus Iudaeis summum terrorem incusserit, haec promulgatio facta fuerit. Vid. Exod. XIX, 16. vbi aduentus Domini in montem Sinai ad promulgandam legem generatim his verbis, SCHMIDIO interprete, describitur: *Factum vero est in die tertio, quum factum esset mane, ut essent voces & fulgura & nubes grauis super monte, itemque vox buccinae valde vehemens, ut trepidaret omnis populus, qui in castris erat. Partim speciatim*, qualis fuerit facies & aspectus montis Sinai, in quem ad promulgandam legem Deus descenderat: quod his verbis a Davide describitur: *Isse Sinai coram Deo, Deo Israëlis*. Vbi notetur α) per ὄρος ὀψισμα montem Sinai quasi praesentem oculis legentium fisci: *Isse*, inquit vates, *Sinai*, β) ἐπὶ τῷ κωνῆ ex antecedente hemistichio repetendum vocabulum רַעֲשָׁה *commotus fuit*, quod saepius fit, maxime in Psalmis: hic vero necessario vocem istam supplementam esse, non tantum docet contextus, sed & locus parallelus allegatus Exod. XIX, 18. *Mons autem Sinai totus fumabat, propterea quod descendit super eum JEHOVAH in igne, adeo ut ascenderet fumus eius, sicut fumus fornacis, & contremisceret totus mons valde.* γ) Causa hujus tremoris motusque montis Sinai recte in praesenti loco dicitur aduentus Domini in hunc montem, & ne quis vel hominem, vel deastrum gentilium, qui itidem vocantur אֱלֹהִים, intelligat, explicat ipsum vocabulum Hieropsaltes, dum ἐξ ἁγίας gratia adiicit: *Deus Israëlis*: quae est descriptio veri Dei, passim in Scripturis obuia, qua



qua distinguitur verus & summe benedictus Deus ab omnibus idolis atque deastris gentilium. Vid. 2. Sam. XXIII, 3. Eandem vero motus atque tremoris montis Sinai causam adducit Moyses in verbis iam allegatis: *Mons autem Sinai totus fumabat, propterea quod descendit super eum Jehovah.* Quibus verbis illud, quod habetur in textu nostro מַפְנֵי יְהוָה אֱלֹהִים אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל eleganter explicatur. *Obs.* 2. B. LVTHERVS in versione sua duplex admittit παραγωγή. 1) dum contra accentuationis leges vocabulum זָה construxit cum antecedente voce אֱלֹהִים, quod tamen construendum erat cum subsequente voce סַנִי. 2) dum voci כְּנִי praemisit particulam כּ praeter ullam necessitatem: *Da bebete die Erde, und die Himmel trocken für diesem Gott in Sinai, für dem Gott, der Israels Gott ist.* Quare verba ex consilio fontium sic vertimus: *Da bebete die Erde, und die Himmel trocken für Gott. Dieser Sinai (bebete) für Gott, für dem Gott Israel.* Respondet huic nostrae Versio Italica: *La terra tremò, i cieli etiam goccioiarono per la presenza di Dio: Sinai stesso per la presenza di Dio, dell' Iddio Israel.* Item Gallica: *La terre trembla, meme les Cieux degoutèrent pour la presence de Dieu, & ce mont de Sinai, pour la presence de Dieu, du Dieu d'Israel.* Imprimis vero Anglica: *The earth shook, the heauens also dropped at the presence of God: even Sinai it self was mouet at the presence of God, the God of Israel.* Vid. Cl. STARCKII Not. Sel. P. II. p. 153.

v. 10.

גַּשְׁמׁ כְּרִבּוֹת תִּנְרַף אֱלֹהִים נִחְלָתָךְ וְנִלְאָה אַתָּה כִּוְנַתְּ—

Sequitur iam promulgationi legis opposita doctrinae Evangelii promulgatio facta per Messiam. *Obs.* 1. Haec vero describitur verbis metaphoricis, metaphora deprompta a cultura terrae, hucusque infructuosae atque incultae, quae pro-



proscindendo, repurgando, stercoreando, seminando, rigando, & aliis modis ad bonam frugem perducitur. *Obs. 2.* In priori propositione: *Pluuiam maxime spontaneam stillare facis, o Deus*, attendi meretur *primo* irrigans, quod sit ipse Messias. In quo statim adparet differentia Legis atque Evangelii. In promulganda lege dicebantur versu antecedente stillare caeli, non ipse Deus: in promulgando vero Evangelio ipse Messias imbrem gratiae stillare dicitur. Quid hoc sibi vult? Scilicet, tam terrificam, tam horrifonam erat vox legis, ut cum priora legis mandata ipse Deus immediate prouulisset, iam, quod residuum erat horum mandatorum, populo vocem Dei immediatam omnibus modis deprecante, atque Moysen verborum Dei interpretem suppliciter expetente, Deus per hunc suum interpretem, atque inter Deum & populum publicae gratiae sequestrum Moysen Israelitis promulgaret, id quod de lege etiam Paulus annotauit, quam datam dicit ab Angelis, *ministerio mediatoris*. Gal. III, 19. Contra quod dulcisona, quod suauissima esset doctrina Evangelii, recte hoc loco ipse Messias immediate hunc imbrem gratiae stillare dicitur, quemadmodum etiam in diebus carnis suae triginta amplius annis hoc flumine doctrinae Evangelii beatissimus noster Salvator sitientes auditorum animos rigasse atque recreasse legitur, de quibus Lucas restatur c. IV, 22. *Οἱ ἐδούμαζον ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος τοῦ ἐκπορευομένου ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ.* Notabilis vero isthaec circumstantia personae rigantis clarius adhuc nobis insinuat, atque inculcatur in altera propositione, huic priori nostrae fere aequipollente, ubi vocabulum *ירד* expresse verbo adiectum hanc nostram obseruationem insigniter confirmat. *Obs. 3.* Medium irrigationis, quod *secundo loco* notandum est, dicitur *גשם נברר*, in quibus verbis do-



trina Euangelii, per Spiritum Sanctum tempore N. T. hominibus annuntianda, eleganter adpellatur *pluuia maxime spontanea*, siue gratuita. Substantivum enim apud Hebraeos, cum altero substantiuo iunctum, apud Latinos per adiectiuum, & si alterum sit nomen in *plurali* positum, per adiectiuum *in superlatiuo gradu* exponendum esse, vel tyronibus linguae sanctae constat, ut: *Calix salutum*, i. e. saluberrimus, Pf. CXVI, 13. *cerua amorum*, i. e. amantissima, Prou. V, 19. *Vir desideriorum*, i. e. desideratissimus, Dan. X, 11. Ipsum vero Spiritum S. non tam ratione personae, quam officii sui consideratum, qui tempore N. T. Christum glorificare, h. e. per verbum Euangelii homines conuertere, regenerare, illuminare atque sanctificare debebat, per *imbrem* intelligi, probatur ex aliis locis Scripturae S. Sic quod primum apud Jesaiam c. XLIV, 3. verbis figuratis Deus dixerat: *Effundam aquas super sitientem, & riuulos super aridam*, ipsemet statim interpretatur: *Effundam SPIRITVM meum super semen tuum, & benedictionem meam super natos tuos*. Conf. quoque Ezech. XXXVI, 25. 26. & Joh. VII, 37. Hic vero Spiritus Messiae tempore N. T. ab ipso Messia largiter hominibus impertiendus significanter admodum in praesenti loco dicitur *וַיִּשַׁם נְרוֹרָתוֹ*. Quae verba recte vertit VVLGATVS: *Pluuia voluntaria*, vel, si emphasin pluralis numeri simul attendere velis: *Pluuia maxime voluntaria, maxime spontanea*, h. e. ex libera Messiae voluntate, spontaneo maxime motu, non ex debito, non ex merito, sed ex mera gratia hominibus data: quo ipso alia nobis iterum insinuat. Legis & Euangelii differentia. Alterum enim legis imbrem exprimebat quasi iustitia diuina, vi cuius exigebat Deus, tanquam iudex iustissimus, ab hominibus, quibus in Adamo vires seruandi legem abundantissime concesserat, iisdem iam  
per



per peccatum deperditis atque decoctis, perfectissimam legis impletionem, tamen homini iam post lapsum impossibilem. Hunc vero N. T. imbrem Euangelii, per Spiritum S. hominibus annuntiandi, nulla exprimebat necessitas, nulla iustitia, nullum meritum ex parte hominis vel praestitum vel praestandum, sed mera Mesiae nostri gratia, libera eiusdem voluntas, & spontaneum eius arbitrium ipsum mouebat ad hunc imbrem Euangelii super homines tempore N. T. largiter effundendum. Quo sensu Vates noster alibi Ps. LI, 14. Spiritum S. adpellat רוּחַ נְבוֹנִים, quod cum VULGATA quidem plurimi interpretes vertunt *Spiritum principalem*, sed rectius cum B. nostro SCHMIDIO vertitur *Spiritus spontaneus*, uti etiam sic vertit LVTHERVS in cantico: *Der willige Geist enthalte mich dir.* Obs. 4. Actus effundendi Spiritum S. hic indigitatur voce רוּחַ, cuius quidem radix רוּחַ & in Hiph. רוּחַ frequentissime significat *agitare, mouere*, hic vero praefereimus alteram, quam minus usitatam, *stillandi* notionem, quo sensu vocabulum occurrit Prou. VII, 17. נַפְתִּי מַטְכָּבִי *fluere* siue *stillare* feci lectum meum myrrha, aloe & cinnamomo. Consentit SCHMIDIVS: Nunc vero pluuiam benevolentiarum stillare facis, o Deus. it. VERSIO GALLICA: o Dieu, tu as fait dégouter la pluie largement. & ITALICA: Tu spandi la pioggia delle liberalità. GEORG. MAIOR in sua Versione Psalterii: *Pluuiam largam effundis, Deus.* IO. CAMPENSIS in suo Enchiridio Psalorum: *Pluuiam copiosissimam effundes, o Deus.* IVNIVS & TREMELLIVS: *Pluuiam liberalissimam stillabas, Deus.* Sequitur altera huius versus propositio, quam cum B. SCHMIDIO, habita ratione accentuationis, sic vertimus: *Haereditatem tuam eamque laborantem* (quod attinet) *Tu confirmabis* (adparabis) *illam.*

Vbi



Vbi notamus 1) hanc propositionem a priori differre verbis, non vero admodum re ipsa, 2) recte verba נחלתך ונלאוך peculiarem quasi & distinctam formare propositionem, docet *affixum verbale*, quod cum aliquibus per *pleonasmum* exponere velle, nulla nos urget necessitas. 3) Obiectum rite adparandum sive disponendum a Messia adpellatur α) נחלתך *haereditatem tuam*, per quam intelligitur totum genus humanum, a Patre Filio in haereditatem datum, vi Psalmi II. v. 8. *Pete a me, & dabo tibi gentes נחלתך haereditatem tuam, & possessionem tuam fines terrae.* it. Pf. XVI, 6. β) נלאוך vbi partic. γ non tam per אשר, quam per *eamque* cum SCHMIDIO vertimus, quo sensu eadem particula participio foem. gen. praefixa legitur Ef. X, 23. כר כלה ונחרצה *nam consummationem, eamque definitam audioi.* Recte vero haereditas Messiae adpellatur *de lassata*, sive terra maxime sterilis, salebrosa, & omnibus viribus ad bonam frugem proferendam exhausta, quam nisi Messias rite percolat, & ad fructus proferendos habilem atque idoneam reddat, nunquam per se vllum fructum salutarem sit proditura. Nam talis erat omnino status totius generis humani, quod Christo in haereditatem cesserat, post lapsum, vt viribus bene operandi per peccatum amissis, ne vllum bonum, Deoque gratum acceptumque opus ab ipso possit expectari. *Omnes declinant, simul inutiles facti sunt, non est faciens bonum, non est vsque ad unum.* Rom. III, 12. Omnium optime vero hanc vocem נלאוך interpretatur ipse Christus Matth. XI, 28. Δεῦτε πρὸς με πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, *Venite ad me, qui laboratis & onerati estis.* 4) De subsequente voce נחלתך iam supra annotavimus, quod non sine emphasi verbo in secunda persona praemittatur, quod scil. ipse vnus & solus,

D

solus,



solus, omnibus exclusis aliis agricolis atque terrae cultoribus, terram suam haereditariam ad bonam frugem rite sit praeparaturus, eamque dispositurus. Nam haec est  $\zeta$ ) significatio vltimae vocis כוננתר, quod vocabulum de *terram usurpatum* significare terram *colere, praeparare, adque bonam frugem disponere*, probamus ex antecedente Pl. LXV, 10. vbi David de vbertate anni diuinitus concessa: *Disponis, inquit, frumentum eorum, nam sic disponis illam* (terram.) Quid vero sit *terram*, item *frumentum disponere*, ipse Vates in subsequente versu distinctius exponit: *Sulcos eius irriga, demitte turmas eius, stillis liquefac eam, germini eius benedic*: quae omnia vocabulo כוננתר comprehenduntur. Quoad rem vero per culturam spirituaalem terrae haereditariae Messiae nostri intelligimus omnes actiones eius *becondemcis*, quis in triplici suo officio, Sacerdotali, Prophetico atque Regio, erat suo tempore obiturus, quippe quibus omnibus sterile, incultum & ἀκαρπov genus humanum priori foecunditati atque vbertati in Adamo amissae erat restituendum. Confer euolutionem huius Metaphorae pluribus Matth. XIII, 24. sequ. & Luc. VIII, 7. in Veteri vero Testam. Es. V, 1. sequ. 6) Nec plane sicco pede transeunda emphasis vocis nostrae in *Piel* usurpatae, de qua coniugatione constat, quod intendat vocis significationem, vt adeo Messiae nostri perfectissima, & omnibus numeris absoluta restitutio generis humani hac ratione simul involvatur, cuius respectu & hic posfit adpellare conscientiam totius generis humani verbis per *Iesaiam* prolatis: *Iam ergo, o habitator Hierosolymae, & vir Iebudae, iudicate quaeso, inter me, & inter vineam* (agrum meum.) *Quid faciendum amplius vineae meae, (agro meo) quod non fecerim in illa* (in illo) Ies. V, 3. 4.



## V. II.

חיתך ישבו כח תכון בשוכתך לעני אלהים :

*Obs. 1.* Pergit in allegoria semel coepta Vates noster. Quemadmodum enim terram bene cultam atque frugiferam animalia tum cicura, tum sylvestria atque fera, ob copiam alimentorum lubenter incolunt, in eaque latibula sua atque speluncas quaerunt: sic etiam animalia Messiae, i. e. homines fame sitique spirituali fere enectos, ob abundantiam bonorum spiritualium in Ecclesia Christi, in eandem se recepturos, in eaque perpetuum quasi suum habitaculum fixuros, dicit hoc loco Propheta. *Obs. 2.* Per חיתך ergo siue per animalia Messiae intelligimus α) homines spiritua-lem suam miseriam agnoscentes, & in Ecclesia Christi domicilium suum spirituale, & omnem copiam atque vberitatem quaerentes, qui in eodem versu postmodum termino Synonymico adpellantur עני. Ita vt eleganti oppositione חית חיה sive *animalia Dei* in loco praesenti opponantur impiis sive tyrannis & persecutoribus Ecclesiae, quos idem vates in v. 31. adpellat ערת אכזריות, & ערת אכזריות *bestias calami*, & ערת אכזריות *coetus taurorum*. β) Ipsum vero vocabulum חית in numero unitatis positum sumitur, vt saepe alias, *collective*, pro tota multitudine hominum κοινότητων καὶ περισσομένων. Hinc etiam vox ista more nominum collectivorum recte postmodum construitur cum verbo Pluralis Numeri ישבו. Illi igitur miseri & afflicti γ) in Ecclesia Christi, tanquam terra admodum saecunda atque fructuosa *habitare*, i. e. penitus saturari, & tanquam in domicilio suo, omnibus bonis adfluente, bene se habere dicuntur. Quae propositio δ) clarioribus deinde verbis aequipollentibus לעני בשוכתך לעני exponitur: quod nimirum hanc suam terram haereditariam, (quae hoc loco est subintelligenda,) i. e. Ecclesiam Mes-



fias non saturatis, & bonis huius seculi iam repletis hominibus impiis, sed עני, i. e. miseris, ad afflictis, & sub iugo peccati, satanae, sensusque irae diuinae anxie suspirantibus, & quidem כמרכרך ex mera bonitate, gratia atque misericordia, citra vllum meritum, praeparauerit, disposuerit, atque percoluerit. Conspirat iterum nobiscum DIODATVS in sua *Versione Italica*: O Dio, per la tua bontà tu hai apparecchiata per li poveri afflitti.

v. 12.

ארני יתן אמר המכשרות צבא רב:

*Observ. 1.* Iam clarioribus verbis exponit Hieropsaltes descriptam v. 10. & 11. verbis paulo obscurioribus atque metaphorice praedicationem doctrinae Evangelii, tempore N. T. futuram. Hic vero notetur 2) mutatio iterum personarum. Nam a secunda persona, quam adhibuerat v. 10. & 11. transit Auctor noster ad personam tertiam. *Obs. 3.* Praeconem huius doctrinae adpellat ארני Dominum, non quod semper immediate sit praedicaturus verbum Evangelii in sua Ecclesia ad finem vsque seculi, sed quod hoc officio suo prophetico, post exaltationem suam ad dextram Patris, sit defuncturus mediate per Ministros Ecclesiae abs se ad praedicandum missos, quod probant statim verba sequentia: *Annuntiatrices sunt exercitus magnus.* Hinc quod ipsi docent iuxta mandatum Christi M. E. ab auditoribus, tanquam ex ore Christi profectum, omni religione admittendum esse, hoc ipsum Nomen ארני solide demonstrat. Conf. Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15, 16, 20. Luc. X, 16. *Observ. 4.* Hic Dominus dicitur dare verbum, יתן scil. ex mera gratia, quo sensu vocabulum hoc de M. E. Novi foederis a Deo dandis adhibetur Ier. III, 15. *Obs. 5.* ונתתי לכם רעים כלבי אמר Verbum, quod Deus dare dicitur, non est humanum, sed



sed diuinum: quo sensu de verbo Dei idem vocabulum adhibetur Ps. LXXVII, 9. quod probat etiam vocabulum antecedens ארני. Jam 6) describitur numerus doctorum Ecclesiae N. T. admodum insignis, & quidem 7) quod solenne est Spiritui S. verbis, a ritu five ceremoniis populorum orientaliū mutuo accersitis. Scilicet apud has gentes vsu receptum erat, vt, si quando victoriam insignem viri manu fortes & bello strenui ab hostibus suis deportassent, foeminae tum nuptae, tum innuptae, ne plane otiosae viderentur esse spectatrices huius victoriae, sed quomodocunque in societatem huius laudis a maribus in proelio obtentae venirent, ordine bene disposito cum symphoniis, tympanis, cymbalis & aliorum instrumentorum strepitu obuiam irent exproelio cum triumpho redeuntibus victoribus maritis, aut aliis viris propinqua sibi cognatione coniunctis. Exempla vide Exod. XV, 20. Iud. XI, 34. & 1. Sam. XVIII, 6. 7. Ad hunc morem ergo alludit in praesentibus verbis Spiritus S. descripturus insignem & infinitum fere doctorum N. T. numerum, laetissimum eius victoria, hominibus annuntiantium, quod clare subinuit nomen in *genere foeminino* adhibitum. Ipse vero 8) modus annuntiandi significatur per vocabulum ארני quod verbum significat  $\alpha$ ) rem antea ignotam, &  $\beta$ ) non quidem semper, sed saepius tamen, & quasi κατ' ἐξοχήν nuntium laetum, & auribus alterius iucundum annuntiare. Vid. 2. Sam. IV, 10. & prae ceteris GEIERI Comment. in Psalm. XL, 10. it. IO. HEESERI Lexicon Philolog. Hebraeo-Chaldaeo-Sacr. p. 668. Hoc vero vocabulum eleganter exprimit naturam & indolem doctrinae Evangelicae, ab Apostolis in primis, & ipsorum successoribus, tempore N. T. annuntiandae. Nam ante revelationem diuinitus factam haec doctrina hominibus



omnibus erat *primo* penitus abstrusa & incognita, teste Paulo I. Cor. II, 7. 8. 9. *secundo* vero hominibus peccatoribus, fulmine legali iam perterrefactis atque tementibus, admodum laeta, gratiosa, iucundaque. Atque hinc factum esse existimo, quod saepius in Scriptura V. T. Evangelica doctrina hoc ipso vocabulo a Spiritu S. notetur, Ef. XL, 9. LII, 7. LX, 6. & inprimis LXI, 1. ubi vocabulum  $\text{צבא}$  Lucas, haec verba allegans, recte vertit  $\text{\epsilon}\nu\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\iota\zeta\epsilon\delta\omicron\mu\alpha\iota$ , c. IV, 18. Jam horum praekonum doctrinae Evangelicae N. T. dicitur fore  $\text{צבא}$  exercitus: quo ipso significantur partim officium, partim ordo & distincta dona M. E. Nam uti exercitus ab imperatore conscribitur atque instruitur ad hostem suum devincendum: sic etiam M. E. quasi milites spirituales conscribuntur, & in aciem collocantur ab Imperatore Christo aduersus hostes suos spirituales, diabolum, carnem atque mundum: quo sensu Paulus adhortatur suum Timotheum, Ecclesiae doctorem, ut cuncta mala perferat, veluti miles strenuus, 2. Tim. II, 3. 4. 5. Vide etiam de hac pugna spirituali Christi atque suorum credentium, tum veluti belli ducum, tum quasi militum gregariorum 2. Cor. X, 3. 4. 5. Apoc. XII, 7. sequi. Nec tantum *officium*, sed etiam *ordo*, siue distincta M. E. noui foederis dona, quod diximus, hoc nomine *Exercitus* significantur. Quemadmodum enim exercitus inprimis constat ordine, in eoque distincti dantur ordines, distinctaque belligerantium dona, quorum respectu alius sustinet Imperatoris, alii ducum, alii militum gregariorum, equitum alii, alii peditum, alii calonum lixarumque munus: sic etiam inter doctores Ecclesiae non quidem ratione dignitatis & excellentiae, bene tamen ratione donorum diuersorum, cum sanctificantium, tum ministrantium certus datur ordo, certa-que differentia, de qua donorum diuersitate doctorum Ec-

cle-



clesiae N. T. ex instituto Paulus agit 1. Cor. XII, 4. seq. it. v. 28. & Eph. IV, 10. Tandem 10) hic exercitus dicitur esse רב magnus, quo ipso procul dubio respicit Spiritus S. numerum doctorum Ecclesiae V. T. qui dum Ecclesia Dei nidulum suum haberet tantum in Palaestina, non adeo multi necessitatibus Ecclesiae procurandis sufficere poterant: at tempore N. T. quo ecclesia Christiana per totum terrarum orbem erat disseminanda, maior utique numerus, maiorque docentium, Christoque per praeconium verbi diuini Ecclesiam colligentium, copia requirebatur, quae hinc recte in praesenti versu dicitur *exercitus magnus*. Vid. pluribus in hunc versum GLASSII Phil. S. I. III. tr. 1. Can. 21. p. 610. edit. Lips. SEB. SCHMIDII Colleg. Bibl. P. I. Loc. XVII. p. 352. seq. SAVBERTI Opera posthuma, p. 209. BECKII Versio Lutheri vindicata p. 242. TERNE Sylloge Programmat. Exeget. n. 16. p. 167. sequ.

v. 13.

מלכי צבאות ידרון ידרון ונות בית תחלק שלל:

In hoc versu obseruamus 1) exponi effectum praestantissimum praedicatae doctrinae Euangelicae, partim fugam hostium spiritualium, partim subsequenter, hostibus in fugam coniectis, praedae partitionem. De fuga hostium sic canit Vates noster: *Reges exercituum fugient, fugient*. Vbi 2) per reges exercituum intelliguntur inprimis diabolus, & omnes sub eius vexillo militantes tyranni, reges atque principes huius seculi, Ecclesiam Christianam diris modis vexantes, turbantes atque persequentes. Per horum vero 3) exercitus, omnes reliqui hostes spirituales, angeli mali, homines impii, & variae carnis nostrae corruptae concupiscentiae atque adfectiones, quae recte in numero multitudinis hic dicuntur צבאות, plures exercitus, cum e contra-

rio



rio in commate antecedenti Messiae in numero unitatis **צבא** unus tantum esset exercitus. De his hostibus spiritualibus Messiae dicitur 4) quod *fugiant, fugiant*. Per quam vocis geminationem, a Rhetoribus *Epiceuxis* dictam, significatur tum **אל** fugientium hostium, summa animi consternatio, tum actionis intentio, & acceleratio, fere uti nos patrio sermone dicimus: *Uber Hals über Kopf auss-reissen*. Atque sic hoc loco indicatur accelerata & plenissima omnium hostium dispersio, eorumque fuga, ita ut nec vola nec vestigium de illis amplius superfit, quo sensu eadem figura a Propheta nostro adhibetur de Edomitis, plenariam Judaeorum excisionem exoptantibus **ער ער** **והסוד כוה**: Pf. CXXXVII, 7. Exempla plura dabit GLASS. l. c. l. V. tr. 2. c. 1. p. 1990. Et talis omnino est victoria Messiae de suis hostibus spiritualibus, quos omnes & singulos non tantum in statu exinanitionis per passionem & mortem suam in fugam quasi coniecit, sed & hodie adhuc in statu exaltationis suae per virtutem verbi pradicati, usumque legitimum Sacramentorum ex cordibus hominum eiicit, & fugam veluti capeffere iubet. Vide Joh. XII, 31. XIV, 30. XVI, 11. & 33. Hanc fugam hostium excipit partitio & distributio praedae: *Et habitatrix domus dispersit praedam* Quibus verbis **ו** amplissima & copiosissima spolia ab hostibus recepta significantur. Cum enim alias ipsorum viro- rum, & maxime victorum sit dispartire praedam, non vero mulierum domi latitantium, hic contra tanta copia spoli- orum spiritualium, hostibus devictis detractorum, fore dicitur, ut iis capiendis manus victorum marium neutiquam suffecturae, sed magna pars eorum imbellibus foeminis, extra limen patrium alias vix pedem proferentibus, sit cessatura. Vid. omnino Ef. XXXIII, 23. vbi etiam claudi eodem fere



fere sensu, quo in praesenti nostro loco foemina, dicuntur  
 praedam capere: אז חלק ער שלל מרבה פסחים בזון בוז.  
 Foemina vero isthaec praedam partitura eleganter hic ad-  
 pellatur 6) *habitatrix domus*: quod vocabulum se-  
 mel adhuc in codice V. T. de foemina vsurpatum legitur  
 Jer. VI, 2. in N. T. dicitur *ἐπιεργής*, Tit II, 5. quibus vocibus  
 rum Hebraicae, tum Graecae recte intelligendis inprimis  
 inseruit cognitio ritus populorum, maxime Orientalium,  
 singulari cura atque sollicitudine vxores filiasque suas do-  
 mi & interiori quidem in parte aedium custodite seruanti-  
 um, nec liberam illam & frequentissimam ex aedibus pro-  
 priis in publicum proditionem, & per domus alias discursa-  
 tionem, quae inter gentes Occidentales obtinet, sexui fe-  
 miori permittentium: hinc recte eiusmodi honesta foemi-  
 na poterat ab iisdem dici *habitatrix domus*. Vid.  
 FESSELI Aduers. S. I. II. c. XVII. vbi hunc ritum veterum  
 custodiendi tum virgines, tum uxores, pluribus testimoniis  
 confirmat. It. JO. PHIL. PFEIFERI Disputationes tres de  
*Cura Virginum apud Veteres*, Regiom. 1672. 4. vt & SAM.  
 FRID. BVCHERI Tr. de *conclusis Hebraeorum ac Graeco-  
 rum foeminis*. Budissin. 1717. 12. Haec igitur *habitatrix do-  
 mus* siue foemina dicitur 7) *תחלק ער שלל*,  
 qualis praedae distributio signum erat victoriae plenissime  
 de hostibus deportatae, vid. Jud. V, 29. Haec vero praeda  
 hoc loco figurate intelligenda significat omnia illa benefi-  
 cia, corporalia, spiritualia & aeterna, per peccatum Proto-  
 platorum nostrorum amissa, sed per obedientiam Christi  
 actiuam & passiuam toto generi humano iterum acquisita,  
 & per fidem hominibus conferenda. Quo sensu figurato de  
 Messiae beneficiis praedae vocabulum etiam alias in Scri-  
 ptura V. T. & N. T. occurrit. Vid. praeter locum ex Ef.



XXXIII. v. 23. supra iam allegatum ibid. c. LIII, 12. & Luc. XI, 22. Dissentit aliquantum a nobis in sua Versione B. LV-  
**THERVS: die Könige der Heerschaaren sind unterein-**  
**ander Freunde,** aptius ad fontes verba sic videntur posse ver-  
**ti: Die Könige der Heerschaaren ergreifen die völlige**  
**Flucht, und die Haußfrau theilet den Raub aus.** Vid.  
 SAVBERTI *Opera posthuma* p. 211. BECKII *Versio Lutheri*  
*vindicata.* p. 245.

v. 14.

אם תשכחן בין שפתים כנפי יונה נחפרו בכסף  
 ואברותיהו בירקוק הררץ :

Hic 1) notanda iterum personarum mutatio. Nam a  
 tertia persona relabitur vates noster ad personam secundam,  
 ipsamque alloquitur Ecclesiam Christianam, hostibus suis spi-  
 ritualibus fufis fugatisque iam optima pace atque tranquilli-  
 tate coelesti fruentem. Hanc enim pacem atque securita-  
 tem spiritualem Ecclesiae intelligi per phrasin paulo obscu-  
 riorē, *habitare inter duos ordines siue limites*, facile, ni fal-  
 lor, adparebit, si modo sensus vocum proprius seorsim prius  
 fuerit euolutus. Inprimis vero 2) inquirenda vocis שפתים,  
 quae nullibi alias, nisi semel adhuc, nimirum Ezech. XL, 43. le-  
 gitur, genuina significatio, quae tamen a plurimis interpreti-  
 bus, auctoritate maxime loci Ezechielis allegati suffultis, verti-  
 tur *lapides focarii*, nobis tamen, hac interpretatione reiecta,  
 prae ceteris arridet sententia B. GEIERI in *Comment. suo in Ps.*  
 LXVIII. p. 1329. ex radice שפרו *ordinavit, disposuit*, non in-  
 congrue colligentis, *dispositiones* vel *ordines* generatim voce  
 hac שפתים designari, qui postmodum pro ratione circum-  
 stantiarum restringendi sunt vel ad rem culinariam, vel mer-  
 eatoriam, vel pastoritiam & id genus alia. Nos hoc tantum  
 adiicimus, hic intelligi *dispositiones siue ordines pastoritios*, &  
 cum



cum sit numerus dualis, *binos* eiusmodi siue *duplices ordines*, quales solent dari in caulis etiam nostratium ex vtraque parte sic dispositi ordines armentorum, tum bouum tum vaccarum, quos inter in medio aliquod datur spatium vel sedendi, vel incedendi, & singulis iumentis, si sit necesse, pabulum suum praebendi. In hac sententia vero, quod non diffitemur, maximopere nos confirmat locus parallelus, *Iud. V. 16.* ex quo omnium optime vim & significationem nostrae dictionis hauriri posse, nulli sane dubitamus adserere. Cum enim, quod supra iam fuit a nobis in hac commentatione obseruatum, diuinus Scriptor noster in quamplurimis locis stylum suum accommodauerit ad stylum huius hymni sacri, nullum est dubium, quin etiam in his verbis concipiendis respuerit ad locum allegatum. In hoc vero Debora tribui Rubeni, quae in primis re pecuaria abundabat, & ex eadem victitabat, vti ex Num. XXXII. 1. colligitur, nimium otii sui, pacis atque commoditatis vitae studium, quo aliis tribubus in militiam aduersus Sisseram profectis ipsa domi manserat, & rem suam pecuariam interea temporis in summa tranquillitate peregerat, exprobratura, eandem his verbis affatur: *למה ישבת בין המשפתיים לשמע שוקות ערריים* *quare sedisti inter duos ordines ad audiendum sibilos gregum.* Hic vero per *המשפתיים* necessario intelligi duos ordines siue dispositiones vel caularum, vel in iis conclusorum armentorum & pecorum, adiecta verba: *ad audiendos sibilos gregum*, sole meridiano clarius euincunt. Quamuis vero in nostro textu habeatur vocabulum *שפתיים*, cum contra hic legatur *משפתיים*, quod etiam eodem fere sensu semel adhuc occurrit Gen. XLIX, 14. non tamen adeo magnam ratione sensus inter haec duo vocabula dari differentiam, *tum* radix eadem, *tum* dualis idem, *tum* etiam verborum



rum structura **ישב בין שפתים**, uti in nostro hymno, & **המשפתים**, ut in altero Deborahae legitur, lectori non obstinato facile persuadebunt. Quemadmodum itaque in locum iam exposito *τὸ sedere inter duos ordines armentorum & pecorum ad audiendum strepitus sonoros & boatus gregum*, quod tribui Ruben, societatem belli contra hostes patriae ineundi deprecanti, & interea rem suam domi agenti tribuitur, per Metonymiam *signi* pro *signato* extra omnem controversiam significat, aliis belligerantibus, domi otiose, pacate atque tranquille vivere; sic nullam causam subesse video, cum, uti dixi, noster auctor sacer in his ipsis verbis Deborae ante oculos habuerit, imo vnica litterula tantum mutata, eandem loquendi formulam adhibuerit, cur non eadem verba nostri Auctoris de pace atque tranquillitate spiritali Ecclesiae, qua hostibus a Christo debellatis iam fruitur, siue de *τῆ ἐπιγῆς ἐξουσίας, καὶ ἐν ἀθρόοις ἐδουλίαις* coelesti, quam Christo incarnato decantabant geniorum beatorum exercitus Luc. II, 14. interpretari velimus. Praesertim cum ipsi scriptores profani statum beatum tranquillunque alicuius reipublicae suorumque ciuium, sub principe pacis amante viuentium, descripturi, hac symbolica loquendi ratione, de vita pastoritia deprompta, saepe numero vtantur. Sic, ut vnus iterum MARONIS testimonio id, quod dixi, confirmem, idem *Meliboeeo*, ipsi de beatissimo suo & tranquillissimo statu sub imperio Imperatoris Augusti maximopere his verbis gratulanti:

*Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi,  
Syluestrem tenui Musam meditaris auena;  
Nos patriae fines, & dulcia linquimus arua,  
Nos patriam fugimus: Tu, Tityre, lentus in umbra  
Formosam resonare doces Amaryllida syluas:*

hoc,



hoc modo respondet.

*O Meliboe, Deus nobis haec otia fecit,  
Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram  
Saepe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.  
Ille meas errore boues (vt cernis) & ipsum  
Ludere, quae vellem, calamo permisu agresti.*

Bucolic. Eclog. I. p. i. sequ.

Quid? quod ipsa <sup>συνέφερα</sup> textus, verbaque tum antecedentia, tum consequentia hunc verborum sensum nobis cum maxime commendare videntur. Postquam enim in versiculo antecedente delineasset nobis Propheta tum fugam praecipitatum hostium Messiae, tum, quae hanc consecuta erat, Ecclesiae Christianae cum summa animi oblectatione desperatam praedam; iam recte sequitur descriptio cruciatae huius militiae cum armis victricibus domum quasi ad suos reversae summa, qua sub Imperatore suo Christo fruitur, conscientiae pax atque tranquillitas, summa securitas, adque alios populos, gentesque remotas diuulgatus Ecclesiae Christianae splendor, gloria atque maiestas. Imo ipsum etiam verbum consequentem ratione rei penitus cum nostro congruere, idemque, more Scriptori nostro in Psalmis maxime solenni, duabus propositionibus aequipollentibus enuntiari nullus dubito adferere, ita quidem, vt, quod in proximo sub initium dicitur, *בפרש שרי מלכים ברה*, idem sit cum verbis initialibus nostri versus *אם תשכבך בין שפתים*, & quod sub finem dicitur in altero *תשלג בצלמון*, idem sit cum verbis finalibus nostri versus *ירנה נחפה בכסף רג*. Sensus itaque, bis omnibus in summam rite collectis, sponte fuit optimus, minimeque contortus: Quando vos, o Christiani, hostibus vestris spiritualibus in fugam ab Imperatore vestro Christo coniectis, spoliisque a vobis domum reportatis, pace illa Dei,



atque omnem rationem transcendente inter Ecclesiae septa  
 secure pacateque cum summo gaudio atque animi laeti-  
 tia fruimini, tunc eritis sicut columba oblecta auro, &  
 cuius alae sunt oblectae fulvido auro. Vbi circa  
 πρῶτων similitudinis, & primo quidem *ratione verborum*  
 notamus α) particulam כ, notam similitudinis, hic deficere,  
 quod in scriptura non infrequens esse, pluribus exemplis  
 probat GLASSIVS in Philol. S. I. IV. tr. I. obseru. 3. p. 1157. &  
 NOLDIVS in Concord. Part. Hebr. Chald. p. 378. β) Voca-  
 bulum יונה columba, in singulari positum accipi *collektivè*,  
 pro insigni columbarum multitudine atque turba. γ)  
 נחפה בכסף oblecta argento, notare cumulatissimum & in-  
 signem, qui datur incolumbis argentei coloris splendorem,  
 qui per omnes quasi columbarum plumas fit largiter diffu-  
 sus. δ) Post vocabulum אברוריה ἀπό πῆ novè repetendum  
 antecedens vocabulum נחפה. ε) in nomine בירוקן ob ge-  
 minatas ultimas literas radicales, more aliorum id genus  
 nominum, intendi sensus significationem, adeoque non  
 qualemcunque flavedinem, sed eximiam & maxime illu-  
 strem, quae oculos quasi aliorum feriat, denotari. Tan-  
 dem ζ) in constructione huius nominis substantiivi cum altero  
 substantivo notissimum occurrere *idiotismum Hebraicum*,  
 quo prius vel posterius, hoc loco prius, substantivum per  
 adiectivum apud Latinos est exponendum. Vid. GLASSI-  
 VS l. c. l. III. tr. i. Can. 8. p. 558. Tantum de hac similitudine  
 ratione verborum. *Secundo vero ratione rerum* notamus,  
 collum alasque columbarum, quod quotidiana docet expe-  
 rientia, praesertim immixtis solis radiis esse perquam diuer-  
 sicolores, nec multum a colore splendentis auri vel argenti  
 diuersum oculis intuentium praebere spectaculum, quae co-  
 lorum in plumis alisque columbarum sole maxime illustri  
 & perlucido adparentium, diuersitas num sit realis, an vero  
 tan-



tantum imaginaria, naturae venatoribus disquirendum relinquimus. Vide interim, si lubet, VOETII *Disp. Sel.* P. I. p. 707. BOCHARTI *Hieroz.* Tom. II. f. 9. seq. FRANZII *Histor. animal. cum continuat.* B. nostri CYPRIANI P. II. c. 15. p. 232. & 1262. Quantum ad *ἐπιπέδον* siue adplicationem huius similitudinis ad Ecclesiam Christi, splendorem, dignitatem, & excellentiam ecclesiae Christianae, eiusque per totum terrarum orbem, spississimis tenebris quasi inuolutum, disseminationem, uno verbo, gentilium ad Ecclesiam N. T. conuersionem significari, arbitramur. Quemadmodum enim exorto sole colla columbarum earumque alae, radiis solaribus collustratae, fulgidissimum de se spargunt lumen; sic etiam columba illa, coelestis spongi amica, Ecclesia Christi, eius tanquam solis iustitiae radiis prae-fulgida, spargit de se per omnes gentes tenebris nocteque sepultas tam lucidissimum gratiae diuinae salutaris iubar atque splendorem, quo ipsae gentes tenebris disiectis illuminantur, a tenebris ad lucem conuertuntur, & ad ambulandum cum filiis lucis, id est, Christianis, in hac luce permouentur. Quam interpretationem non tantum ipsa nobis suppeditat similitudinis huius *πεβρασις*, sed & versus subsequens, huius ipsius nostri, nisi me omnia fallunt, *ἐξερυσίνος*, quando dicuntur *regibus dispersis caliginosi montes albescere*, uti paulo post videbimus. Cui sententiae corroborandae accedunt alia loca scripturae vtriusque foederis, in quibus conuersio gentium per lumen, illuminationem, & id genus alia vocabula passim describitur. Inprimis locus illustris habetur *Eccl. LX, 1. 2. 3.* vbi vir diuinus sic alloquitur Ecclesiam: *Surge, illuminare, nam venit lux tua, & gloria Jehouae super te exoritur. Nam ecce tenebrae obtegunt terram, & caligo populos: super te vero exoritur Dominus, & gloria eius adparet super te. En solem iustitiae in ecclesia exorientem.*

Iama



lam pergit orator: *Et ambulabunt gentes in luce tua, & reges in splendore ortus tui.* En illustrationem, exorto sole, ipsius ecclesiae N. T. & ex hac egressam diffusamque illuminationem gentium. Atque sic omnia bene inuicem eum textu nostro conspirant.

v. 15.

בפרש שרי מלכיהו ביה תשלג בעלמון:

*Obseru. 1.* Fit iterum personarum mutatio, dum Prophetam facit a persona secunda transitum ad tertiam. Describitur vero 2) in hoc versu summa pax atque tranquillitas Ecclesiae, hostibus eius a Messia fufis fugatisque. Nam 3) vocis פֶּרֶשׁ *dispergendi* notionem hic obtinere, non tantum contextus probat, inprimis incisum antecedens decimum tertium, sed etiam in aliis locis scripturae usitata vocis significatio v. g. Ezech. XVII. v. 21. וְהִנְשֵׂאֲרֵי וְהַנְּשֵׂאֲרֵי יִפְרָשׁוּ לְכָל רוּחַ יִפְרָשׁ & residui in omnes ventos dispergentur. it. Zach. II, 10. In quo posteriori loco idem verbum, uti in nostro, textu usurpatur 4) in *Piel*, ad plenariam & omnimodam hostium in fugam coniectionum dispersionem significandam. Is vero 5) qui hostes illos dispersurus est, ipse est Messias, hic adpellatus שָׂרִי i. e. ut vulgo vertitur, omnipotens, quod vires Ecclesiae militantis in his terris per se plene nullae sint ad hostes suos spirituales superandos atque dissipandos. Ut ipsa recte canit huius imbecillitatis suae probe memor Ecclesia nostra Evangelica: *Mit unsrer Macht ist's nicht gethan, wir sind gar bald verlohren* &c. Plures alias de hac voce obseruationes Philologico-theologicas vid. in BVXTORFII *Diss. Phil. theol. diss. V. de Nominibus Dei Hebraicis* §. 47. p. 275. LEVSDENII *Philologo Hebraeo* Diss. XXXI. §. 12. p. 327. seq. VALENT. FRIDERICI *Diss. Philol. de Synonymis Dei Hebraicis* שָׂרִי & אֲרִי Lips. 1672. BARTHOLDI



HOLDI *Holzfuß Dissert. theol. de Nominibus Dei c. II. §. 6.*  
 p. 20. Hostes 6) quos Messias est dispersurus, adpellantur  
 מלכֵי reges: potentissimos scil. illos reges, quos supra  
 v. 13. Vates noster adpellauerat reges exercituum, hoc ipso si-  
 gnificans, non copias tantum spirituales aduersus Ecclesiam  
 Christi in aciem eductas, sed & harum copiarum duces at-  
 que imperatores ab hoc multo potentiori nostro Impera-  
 tore Messia profligatum iri. Quod vero dicuntur 7) hi re-  
 ges בֵּה in illa, respicit procul dubio per hoc affixum foem.  
 gen. diuinus scriptor supra v. 10. in hoc genere usurpatum  
 vocabulum בְּחֵרָה *haereditatem*, cum propius foemini-  
 num, cum quo praesens nostrum בֵּה commode possit con-  
 strui, non detur. Quemadmodum etiam idem affixum  
 cum part. ב in subsequenti versu 11. de hac haereditate Mes-  
 siae adhibetur. Quae causa est, cur 8) praefixum ב in vsi-  
 tatissima sua significatione IN, quam minus vsitata PER in  
 hoc loco accipi malimus, quod hostes illi spirituales non  
 tantum extra pomoeria, sed intra ipsos Ecclesiae huius mu-  
 ros quam plurimi tum visibiles tum inuisibiles dentur. Ho-  
 stibus autem illis a Christo triumphante superatis disper-  
 que, 6) תִּשְׁלַח בְּצַלְמוֹתָי, quibus verbis figuratis significatur  
 illa, Messia in carne manifestato, passo, mortuo, resuscitato,  
 & ad dextram Patris coelestis in caelum eleuato, atque sic  
 discussis irae & indignationis diuinae nimbis atque nebulis,  
 reddita caeli summa serenitas, pax & tranquillitas generi hu-  
 mano restituta, & in hominibus per Christum placatis a ge-  
 nis ipsis coelestibus publice decantatum beneplacitum di-  
 uinum, Luc. II, 14. quae spiritualis Ecclesiae militantis fere-  
 nitas & pacis coelestis restitutio eleganter exprimitur per  
 vocabulum ἀπαύξει quidem λευόμενον, sed cuius significatio e vo-  
 ce deriuata שלג *Nix* facile eruitur, vt adeo recte vertatur  
*albescet*, quo sensu de ortu diei, cum coelum albescit, hoc vo-  
 cabu-



cabulum adhibet PRVDENTIVS in hymno matutino  
v. 3.

*Lux intrat, albescit polus.*

Quaquam vero alias verba in *Coniugat. Hiphil* posita habeant significationem transitivam, intransitivam tamen hoc loco obtinere, tum tertia persona foeminini generis, quam iterum ad supra iam v. 10. positam vocem *נָהַרְתָּ* haereditatem potius referimus, quam vt, praeter Hebraeorum morem, cum aliis *tertia Futuri foeminini generis Impersonaliter*, quod de *tertia Masculini* alias lubenter concedimus, interpretari velimus, euidentur docet, cum ipsi Ecclesiae restitutio lucis minus recte tribuatur: tum alia verba in *Hiphil*, sed notione intransitiva vsurpata, v. g. *הָיָה כִּי־יָבִין, sapiens, intelligens fuit, הָבֵאֵשׁ, computruit, הָיָה הָאָדָמָה, rubicundus fuit, & fere cum nostro הָיָה שָׁלֵן ratione rei conueniens הָיָה אֲלֵבֵין albuir, siue albus factus est, sufficienter confirmant. Vt vero ii) non qualiscunque luminis coelestis restitutio, qualis fere datur in coeli iam albescentis crepusculo, sed summa pax, summa tranquillitas, summa & plenissima lux gratiae diuinae, Ecclesiae Christianae reddita, qualis est alias lux diei meridiana, intelligatur, adiicit auctor noster בצִלְמוֹן, quod vocabulum semel adhuc in scriptura V. T. legitur, Jud. IX, 48. Ex quo loco adparet צִלְמוֹן esse nomen proprium montis prope urbem Sichem siti, multisque arboribus confiti, adeoque propter hanc multitudinem arborum maxime umbrosi atque opaci, vt adeo hic mons commode per *Synecdochen speciei pro genere* a Propheta nostro pro quouis loco maxime obscuro atque tenebricoso adhiberi potuerit, ad significandum, tempore N. T. post obtentum a Christo de omnibus hostibus suis spiritualibus triumphum, nullum locum, nullum angulum terrae tam obscurum, & tam spissis ignorantiae tenebris quasi obseptum fore, quo fulgur Euangelii, & lux do-*

Cri-



trinae coelestis non sit penetratura, & Cimmerias illas ignorantiae & vitiorum in obscuris late vagantium tenebras dissipatura. Hinc recte LV THERVS, quantum ad hemistichium posterius: **Wenn der Herr unter ihnen Könige setzet,** (ex consilio fontium forte congruentius: **Wenn der Herr die Könige, die bey ihr sind, zerstreuet,**) so wird es helle, wo es dunkel ist. Quod Vatis nostri in praesenti loco editum vaticinium in conuersione gentium post ascensionem Christi ad Ecclesiam Christianam, quae nomine Scripturae tum V. tum N. foederis vsitatissimo *tenebrarum*, & in his exortae *lucis*, passim exprimitur, maxime adimpletum fuisse, si quis forte affirmare velit, hunc a veritatis tramite non multum utriusque aberraturum esse existimamus. Conf. de vsu vocum istarum hoc inprimis sensu El. LX. i. sequ. Zach. XIV. 7. Eph. V. 8. Rom. XIII, 12. 13. itemque GLASSII *Philol. S. l. V. tr. l. c. 10. p. 1674. sequ.* Plura in hunc versum dabunt LVD. de DIEV *Crit. S. in Ps. LXVIII. p. m. edit. Amstel. 148. VARENIVS in Triumpho Davidis, P. III. Loc. 13. GLASSIVS l. c. l. V. tr. l. c. 10. p. 1700. GEIERVS in Comment. ad h. l. MICHAELIS Annot. in Hagiogr. Ps. LXVIII. p. 483.*

v. 16.

הַר אֱלֹהִים הָרַר בְּשֵׁן הָרַר גְּבֻנִים הָרַר בְּשֵׁן:

*Obferu. 1.* In hoc versu describit Hieropsaltes praestantiam Ecclesiae Christianae sub alio schemate, montis scilicet foecundi, procul dubio occasione montis, cuius mentionem fecerat sub finem versus antecedentis, *Zalmon*. Hanc vero iterum 2) exponit duabus propositionibus aequipollentibus. In quibus 3) Ecclesiam N. T. adpellat primum הַר אֱלֹהִים montem Domini, more Prophetarum, imo etiam ipsius Christi & Apostolorum, quibus admodum solenne est, statum Ecclesiae N. T. saepius describere verbis a statu Ecclesiae V. T. de promptis, quod tabernaculum Mosaicum, a Dauide in mon-



te Sion erectum, typus esset Ecclesiae N. T. Quo sensu isthaec Ecclesiae Christianae adpellatio occurrit Esai. II, 1. Mich. IV, 1.2. Hebr. XII, 22. Eodem sensu 4) termino Synonymico mox adpellatur **הר גבנינים** mons praecaltus, quod vocabulum ipsum tamen nullibi alias in fontibus, nisi in praesenti & subsequenti versu, nec ullibi radix eius occurrat, tamen partim ex vocibus deriuatis **גבן** gibbosus, item **גבנין** caseus, vt & **גב** gibbus, partim ex geminatione tertiae radicalis, quae alias rei, de qua enuntiatur, significationem intendit, sensus allegatus facile demonstrari potest: sicut etiam Ies. II, 1. & Mich. IV, 1. locis iam supra citatis dicitur vltimis temporibus, quae est descriptio temporis N. T. Scripturae V. T. non infrequens, *mons Domini*, Ecclesia Christiana, *eminentior fore omnibus montibus & elatior omnibus collibus*, quae loca sensum nostrae adpellationis **הר גבנינים** significanter admodum declarant. Huius igitur Ecclesiae prosperitas, foecunditas & florentissimus eius status repraesentatur nobis in textu nostro 5) sub schemate montis *Basan*. Mons iste Basan situs erat trans Iordanem in regione fertilissima, & pascendis ouibus, pecoribus atque tauris maxime idonea, sexaginta muris desitutis vrbibus celebri Deut. III, 4. 1. Reg. IV, 13. ipsemet multarum procerarum arborum & pascuorum irriguorum plenus, hinc celebrantur in Scriptura tauri *Basan*, h. e. pingues, Pf. XXII, 13. quercus *Basan*, id est, robustae, Ezech. XXVII, 6. Ies. II, 13. Zach. XI, 2. Vid. CELLARII *Noit. orbis antiqui*, Tom. II. lib. 3. c. 13. p. 625. ADRICHOMII *Theatr. f. 79*. BOCHARTI *Hieroz. P. I. l. 2. c. 48. p. 532*. RELANDI *Palaeftina illustrata* l. I. c. 33. p. 200. Cum itaque ager Ecclesiae sit fertilissimus, fructum proferens mox tricenum, mox sexagenum, mox centenum Matth. XIII, 23. recte a Propheta nostro hic bis comparatur cum regione, & imprimis cum monte fertilissimo, *Basan*.



v. 17.

למִרְיָ תִרְצֹדֵן הַרִים גְּבֻנֵי־הַהָר הַהַר חֹמֶר אֱלֹהִים  
לשִׁבְתוֹ אִף יְהוָה יִשְׁכֵן לְנֶצַח:

*Obf. 1.* Pergit Hieropsaltes in describenda excellentia, maiestate, atque Ecclesiae Christianae praestantia, sub schemate montis altissimi & foecundissimi iam in antecedenti versu adumbrata, eamque omnibus aliis etiam altissimis in hoc vniuerso montibus, id est, regnis atque rebus publicis amplissimis & splendidissimis, propter singularem Dei in hoc monte sacro praesentiam & inhabitationem, anteponit. *Quid, inquit, subsaltatis, montes praealti?* vbi 2) notanda *Profopopoeia* & *Apostrophe*, qua montes tanquam personas intelligentes alloquitur Vates noster, fere vti Pf. CXIV, 4. Per montes vero 3) in Scriptura saepius significari imperia atque regna huius mundi, variis ex locis Scripturae constat, veluti Pf. LXXVI, 5. Ies. II, 14. Ier. LI, 25. Habac. III, 6. conf. GLASSII *Philol. S. I. V.* tr. i. c. 10. p. 1719. De voce גְּבֻנֵי־הַהָר iam in antecedente versu dictum: hic tantum 4) circa constructionem notamus, ipsum hoc nomen vel vt Adiectiuum cum suo Substantiuo construi, vel antecedens vocabulum הַרִים in forma absoluta poni pro הָרִי in forma constructa: cuius enallages plura exempla dabit GLASSIVS l. c. I. III. tr. i. can. 40. p. 686. Circa rem ipsam vero 5) obseruandum, per hoc vocabulum designari non qualiacunque tenuioris fortis & conditionis regna, sed validissima, sed potentissima, sed splendidissima imperia atque regna. Atque haec regna quidem, siue, vt in textu apellantur, montes 6) dicuntur subsilire תִרְצֹדֵן, quam vocis monadicae interpretationem praefereamus alteri illi ex lingua Arabica *intentis oculis insidiandi* & *obseruandi*, a quibusdam interpretibus tum Iudaeis, tum Christianis deductae notioni, maxime subnixi partim auctoritate Pf. CXIV, 6. vbi itidem



montes dicuntur prae gaudio exsiliisse, partim interpretis Chaldaei, verba hoc modo vertentis: למה ארזן טפזין טוריא, *quare vos exsilitis, o montes*: partim re ipsa, qua rectius, nostro quidem iudicio, montes prae gaudio commoueri quasi sede sua & veluti exsilire, quam aliis montibus intentis oculis insidiari dicuntur. Vt aliorum tum Hebraeorum tum Christianorum interpretum consensum hic silentio praerermittamus. Hoc vero montium altissimorum sic descripto saltu sensu metaphorico exprobat Vates noster regnis atque imperiis huius mundi suam insolentiam, fastum, atque animi superbiam, quod propter opes atque potentiam suorum ciuium atque imperantium regnum Christi in histerris, cui haec praesidia & munimenta externa desint, oculis suis despiciant, suaque dignitate atque excellentia multo id inferius esse, temere gloriantur. Quam gloriam atque existimationem sui vanam nullamque esse probat iam ferenissimus Auctor noster 7) duplici praestantia regni Messiani, qua omnia regna huius vniuersitatis multis parasangis post se relinquit, *primo* quod ipse Messias hanc regni sedem elegerit, eamque *secundo* non forte temporariam, vti reges & principes huius mundi in vna vel altera suarum vrbium ad tempus aliquod commorantur, sed perpetuam, & quasi regiam, ac nunquam cum alia regni sui sede permittendam. Sed operae erit pretium iam singulas voces huius hemistichii paulo distinctius euoluere. Et hic 8) Emphasis singularis habetur, quod primum vocabulum רוהר per Accentum suum distinctiuum *Reuiab* non tantum a subsequentibus verbis recte distinguitur, & sic, vti alias in scriptura frequentissime, integram & peculiarem format propositionem, hoc modo reddendam: *Quantum ad hunc montem spectat*, de quo Hebraeorum idiotismo vid. GLASSII Phil. S. c. III. tr. I. Canon. 28. p. 625. sed etiam praemissum ה

Em-



Emphaticum *den Sion* & quali indice digito monstrat reliquis montibus, suam eminentiam iactantibus, hunc montem maxime notabilem, quam emphasin vocis quis lingua nostra forte sic exprimeret: **Ihr grossen Gebirge, kommt sehet doch diesen Berg an, was diesen Berg betrifft** &c. Jam sequitur 9) prima excellentia huius montis, **אמר ירוה לשבת**, quod ille scilicet non tantum sit sedes ipsius altissimi Dei, sed sedes etiam desideratissima, exoptatissima, & qua insigniter supremum numen delectetur, de qua sede gratiosa summi verique Dei nullus alius mons, nulla respublica, nullum regnum gentilium idololatrarum, quam amplum vastumque illud sit, iure gloriari queat. Hic solus & vnicus mons est, mons ille Sion, siue Ecclesia Christi N. T. quem elegit Deus, vt hanc dignitatem montis Sion idem noster celebrat Vates Ps. CXXXII, 13. 14. quam adpetit in habitationem suam. *Haec est*, nomine Dei inquit, *requies mea perpetua, hic habitabo, quoniam summopere delector illa.* Altera excellentia huius montis priori adhuc maior describitur 10) his verbis **אף ירוה ישכן לבצור**, *immo Dominus habitat ibi in aeternum*: quod priori maius adhuc & praestantius esse Messiae beneficium, particula **אף**, quae, vt supra v. 9. & aliis in locis scripturae, gradationem inuoluit, non tantum indicat, sed & res ipsa docet, maius esse beneficium regis vel principis, sedem perpetuam in vrbe aliqua ditionis suae figentis, eamque tanquam regiam suam constituentis, quam ad tempus aliquod perbreue in aedibus priuatis alicuius suorum ciuium forte pernoctantis aut commorantis. Hoc vero beneficium perpetuae mansionis atque habitationis Ecclesiae suae promisit Christus etiam in N. T. ante ascensionem suam in coelos: *Ecce*, inquit, *ego sum apud vos omnibus diebus vsque ad finem seculi*, Matth. XXVIII, 20.



רכב אלהים רבתיים אלפי שנאן אדני במ סיני בקרש :

Vti vero excellentiam & praestantiam Ecclesiae Christianae prae omnibus aliis regnis & imperiis huius seculi demonstrauerat Pfalter in habitatione huius loci perpetua Dei immortalis, sic iam 1) in praesenti versu robur & potentiam huius inhabitantis regis describit iterum verbis figuratis, *a re militari veterum* mutuo petitis. Sic enim apud veteres, quando reges vel principes bellum aduersus alium parabant, non leue praesidium ponebatur in multitudine curruum maxime falcatorum, & armatis militibus, qui de his curribus aduersus hostes variis armorum generibus pugnabant, refertorum, quorum vehiculorum militarium etiam scriptura variis in locis mentionem facit, vt Exod. XIV, 7. Jud. IV, 3. 1. Sam. XIII, 5. 1. Par. XIX, 7. Plura vero de hoc armorum genere apud antiquos vide in DEMSTERI *Nor. ad ROSINI Antiquit.* p. 1647. Vt ergo demonstret vates noster, non minorem esse potentiam regis nostri coelestis, montem Sionem inhabitantis, robore & potentia regum atque principum mundanorum, tribuit & ipsi suos currus. Nomen enim רכב in singulari hic positum 2) accipiendum pro multis curribus, vel e solo numero adiecto שנאן אלפי, h. e. *duae myriades, & millia iterata*, facile colligi potest. Circa ipsum vero numerum notamus 3) numerum certum poni pro incerto, eoque fere infinito. 4) Particulam ׀ in vocabulo אלפי deficere. 5) cum nomen substantiuum אלפי cum alio substantiuo in *regimine* ponatur, alterum Substantiuum per adiectiuum *millia iterata* esse explicandum. Tandem 6) nomen ipsum שנאן, cum nullibi alias in scriptura extra hunc locum occurrat, omnium optime deriuari a radice שנה quasi *iteratio*, vt בנין אדני a radice בנה, mutato postmodum, quod in litteris אדני frequenter fit, ׀ in



7) in 18, unde nascitur nomen praesens שָׁמַיִם. Quod vero tantus curruum numerus & innumerabilis fere eorum multitudo, qualem nullus potentissimorum etiam regum atque Imperatorum huius mundi in aciem aduersus hostem educere potest, nostro regi coelesti in Sion habitanti tribuatur, inuictum 7) eius robur, & infinitam esse potentiam, qua omnes reges terrestres anteit, exinde recte colligitur. Praesertim si 8) attendamus, per hanc multitudinem infinitam curruum, sensu metaphórico, infinitum imprimis Angelorum exercitum, in Scriptura sub equitum & curruum ignitorum symbolo nobis exhibitorum, designari, Vid. 2. Reg. II. v. II. & VI, 17. de infinito vero geniorum horum coelestium numero vid. Dan. VII, 10. & Apoc. V, II. Inter has myriades curruum Angelicorum 9) ipse Dominus ad maiestatem eius summam declarandam constitutus esse dicitur, quemadmodum alias in Scriptura summa Numinis diuini maiestas, in visibili eius adparitione hominibus facta, inter alia regii adparatus solennia, per innumerum Angelorum adstantium numerum describi solet, veluti 1. Reg. XXII, 19. Es. VI, 2. Dan. VII, 10. Apoc. V, II. qualis etiam fore dicitur aduentus Christi vltimus ad iudicium Matth. XXV, 31. Iud. v. 14. In reliquis 10) textus verbis explicandis, quod paulo sint obscuriora, mirum in modum variant interpretes, quorum tamen, quotquot etiam sint, cum nulla nobis textui satisfacere videatur sententia, dispiciamus, num propius intimiore vocum euolutione ad mentem Spiritus S. in his verbis latentem accedere queamus. Placet ergo, salvo aliorum iudicio, verba בְּקֶרֶשׁ סִנַּי sic vertere: *Sicut Sinai*, (sive Dominus in Sinai) *inter sanctitatem* (h. e. angelos sanctissimos) erat constitutus. Ad quam sententiam probandam notamus 11) particulam כִּי, notam similitudinis, voci סִנַּי praefigendam, quod etiam alii interpretes iam annotarunt, vti supra v. 14. & alibi in Scriptura passim, hoc loco esse



omissam. β) vocabulo סני vel proprie ipsum montem Sinai, vel, quod eodem fere redit, *Metonymice*, per *Meton. continentis* pro *contento*, *Dominum in Sinai* intelligi. בקדש vero γ), quod alii interpretes communiter in *sanctuario*, sed nullo fere, vel contorto admodum sensu exponunt, *inter sanctitatem*, hoc est, *Angelos sanctos* interpretamur, primo quidem, quod in loco huic maxime parallelo, & qui fere, cum hoc nostro collatus, omnes tenebras eiusdem dispellit, *Deut. XXXIII, 2.* Angeli itidem adpellantur קדש, quando dicitur Dominus venisse ex Sinai, & paulo post קדש מרבבת ex myriadibus Sanctitatis, per quas Sanctitatis myriades necessario, omnium interpretum consensu, Angeli sancti, quorum ministerio Lex divina in monte Sinai, interprete Paulo Gal. III, 19. est publicata, intelligendi sunt. Cum itaque *secundo* in antecedente huius versus hemistichio maiestas Messiae fuerat descripta a duabus curruum coelestium, id est, Angelorum sanctorum myriadibus eodem vocabulo in foeminino tantum genere a Moyse usurpato, *tertio* vero aduentus Domini gloriosus in montem Sinai apud Moyfen ab hoc ipso splendidissimo Angelorum sanctorum comitatu describatur, elegantissime omnino, ni fallor, maiestas, robur & potentia nostri Messiae in antecedentibus verbis per myriades Angelorum declarata, iam in subsequentibus verbis comparatur cum maiestate montis Sinai, vel Domini in eodem adparentis, ex innumerabilium angelorum sanctorum concilio maximopere cognoscenda. Accedit *quarto* consensus oraculi verustissimi Patriarchae antediluvianiani, ENOCHI, in literas sacras, velut exulis, primum ab Apostolo Iuda diuinis auspiciis relati, in quibus verba Versionis Graecae ἐν μυριάδων ἁγίων, verbis Hebraicis haud rectius verteris, quam iisdem verbis Moyfis מרבבת קדש cum myriadibus sanctis. Huc *quinto* facit, quod in vtriusque Scripturae tabulis coelestes illi purissimi que genii non tantum adpel-



adpellentur *Angeli sancti*, sed, quod propius termino nostro abstractivo קדש congruit, notione concretiva, & quasi *אורי' יצאצא*, קדשי *Sancti*, propter sanctitatem illam, per quam in bono fuerunt confirmati, omnis maculae experem, conf. Job. XV, 1. Dan. IV, 14. VIII, 13. Zach. XIV, 5. 1. Thef. III, 13. Quod autem δ) particulam ב voculae קדש praefixam vertere INTER malimus, inducit nos eiusdem particulae significatus in ἀποδόσεως huius Similitudinis antecedente vocula ב expressus, vt adeo, conuenientia particulae ב in πορώδες & ἀποδόσεως tam exacta nouum nostrae interpretationi subministrat fulcimentum. Tandem ε) obseruari meretur, quod si iuxta aliorum interpretum sententiam בקדש sit vertendum in *Sanctuario*, quasi Dominus noster fuerit tum in Sinai, tum in Sanctuario, iuxta leges Accentuationis sacrae בקדש fuisse per Accentum distinctiuum seiungenda ab antecedente voce סני, quae vero cum per seruum *Merca* coniungatur cum סני, vti antecedens בב cum ארני, & haec obseruatio, ex Accentuationis sacrae penu depromta, nos in allata nostra interpretatione magis magisque confirmat.

v. 19.

עלית למרום שבת שבי לקחת מתנות בארם  
ואף סוררים לשכן ירה אלהים :

*Obs. 1.* Sequitur illustrisimum illud oraculum de *Ascensione Messiae in coelos*, quod inter reliqua huius hymni triumphalis sidera micat,

*velut inter stellas*

*Luna minores.*

Quodque ipse Spiritus S. in literas N. T. referre, & de ascendente Christo in coelos interpretari dignatus est, Ephes. IV, 8. Notanda 2) personarum iterata, & in hoc Psalmo frequentissima mutatio. Verbis enim praecedentis incisi in persona tertia enuntiatis, iam in secunda persona Vates ipsum, trium-



phum suum in coelos agentem, alloquitur Mesiam. Per illam vero 3) hic descriptam ascensionem *in altum* intelligimus tum visibilem illam, & ad nubes vsque localem, tum invisibilem, & qua modum rei, nobis imperuestigabilem postmodum subsecutam *ad coelum beatorum*, imo *supra omnes coelos*, Christi ascensionem, quae omnia vnico isthoc vocabulo מרו in Scriptura significantur, quoties de Deo illud vsurpatur, isque dicitur *vel inhabitare* מרו, Ef. LVII, 15. XXXIII, 5. *vel prospicere* ממרו Pf. CII, 20. *vel mittere manum suam* ממרו Pf. CXLIV, 7. XVIII, 7. *vel rugire* ממרו Ier. XXV, 30. *vel ignem mittere* ממרו Thr. I. 13. Alias illud מרו, quorsum Christus ascendit, in Scriptura N. T. eleganter exponitur per τὸ πρὸς ἡν τὸ πρότερον, Ioh. VI, 62. πρὸς τὸν πατέρα, Ioh. XX, 17. ὑπεράνω πάντων τῶν ἑξουσιῶν, Ephes. IV, 10. Nec caret 4) emphasi, quod in praesenti nostro textu ipse Mesias *ascendisse* dicitur, ad designandum, quod non ad instar *Methusalemi* לקח assumpti a Deo, Gen. V, 24. *vel Eliae*, virtute aliena coelum ascendentis, 2. Reg. II. v. II. (vbi idem quidem vocabulum עלי legitur, quod tamen ab ipso Elia per τὸ אלקח, item לקח in antecedentibus v. 9. 10. hoc est, *adsumi* exponitur,) sed virtute divina propria, & qua naturam quidem divinam sibi essentiali, qua humanam vero, per vnionis gratiam communicata, sit aliquando peracto redemptionis negotio ascensus in coelum. Quemadmodum hoc sensu ipse Saluator vocabulum ascendendi de sua ascensione in coelos vsurpatum exponit, quando Ioh. III, 13. *Nemo, inquit, ascendit in coelum, nisi qui ex coelo descendit, scilicet filius hominis, qui est in coelo.* Nec obstat 5) quod etiam Christus, triumphator noster, ἀνεβήθη, h. e. eleuatus siue assumptus in coelum esse dicitur Marc. XVI, 19. Act. I, 2. 9. II. Nam haec quidem Christi Θεανθρώπου eleuatio siue assumptio in coelos toto coelo differt ab eleuatio-

ne,



ne, & in coelos assumptione *ψιλων θρώπων* supra commemoratorum, Methusalem atque Eliae: quandoquidem hi Duumviri, aeternitatis candidati, sola virtute Dei, nihil hic quidquam cooperante virtute propria, in superiorum concilium recipiebantur; hic vero noster triumphator, virtute quidem Patris sui coelestis, vt & Spiritus Sancti, vti fuit a mortuis resuscitatus, sic etiam in coelum eleuatus, ita tamen, vt non minus recte, & cum maxime proprie virtute sua ipsius propria, quae cum virtute Patris & Spiritus Sancti plane vna eademque est, secundum naturam diuinam, quod diximus, sibi *essentiali*, secundum humanam vero *personali*, in aliis locis Scripturae ascendisse legatur, quemadmodum eodem sensu etiam ex mortuis resurrexisset, & a Patre resuscitatus, vtrumque vere in scripturis dicitur. Sed ne sic quidem omnis vis atque *θεωότης* vocabuli praesentis *ἦγε* a nobis fuit exhausta, sed 6) idem vocabulum, & quidem in sensu proprio, vti hoc loco, acceptum, denotat motum aliquem de loco in locum realem, adeoque localem atque visibilem, qualem etiam ascensum Christi in coelos ad nubes vsque fuisse, scilicet localem atque visibilem, nos omnes Historicorum sacrorum, eorumque *αὐτοπλῶν*, clarissimis verbis, in primis Act. I. 9. 10. II. persuasiveluenter agnoscimus atque profitemur, quanquam modum huius ascensionis a nubibus ad coelum vsque beatorum posthinc & supra omnes coelos continuatae, ab ipsa nube Christum oculis discipulorum subducente obuelatum, reuelare, & Lectorum oculis exponere nec possumus nec velimus. Neque tamen, vt modum ascensionis nostri triumphatoris, sic etiam effectum eius fructumque nos ignorare voluit auctor diuini carminis, David, sed 7) duplicem, eumque praestantissimum fuisse, in sequentibus adfirmat, *alterum* respectu hostium Messiae, *alterum* respectu hominum. Fructus & effectus ascensus Christi ad superos respectu hostium his verbis



describitur שברת שבי, de qua dictione 8) notamus, quod mutuo accepta, vti plura huius Psalmi dicta, ex Jud. V, 12. & proprie quidem significat hostes deuictos captiuos, siue in captiuitatem abducere, quo sensu proprio occurrit Deut. XXI, 10. Num. XXI, 1. 2. Par. XXVIII, 17. hic vero in sensu figurato denotat imperium atque dominium Messiae absolutum etiam secundum humanam suam naturam, post exantlatum redemptionis opus, in omnes hostes suos spirituales, diabolum, mundum, carnem, peccatum, mortem & infernum, qui omnes, Christo ex mortuis resuscitato, & in coelos ad dextram Patris euecto, ius suum in genus humanum hactenus amiserunt, vt credentibus in Christum amplius nocere nequeant. Haec Christi hostium, post ascensionem suam in coelos, in spirituales captiuitatem deportatio dicitur stylo Scripturae alio nomine *ponere hostes suos scabellum pedum suorum* Pl. CX, 2. & in N. T. καθίσταται ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ ἐν τοῖς ἐπεφρανοῖς ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως, καὶ κυριότητι, καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένων ἑ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τῷ πρώτῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μελλόντι Eph. I, 21. item ὑποτάσσεται αὐτῷ ἄγγελοι, καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεις I. Pet. III, 22. Alter effectus fructusque ascensionis Christi in coelos respectu hominum dicitur in praesenti textu acceptio & distributio donorum inter homines: לקחת מתנת בארתי *accepisti dona pro hominibus*, vt vulgo verba verti solent, Paulus vero in N. T. Eph. IV, 8. ex LXX. virali Versione sic allegat: καὶ ἔδωκε δῶματα τοῖς ἀνθρώποις, *Et dedit dona hominibus*. Quae adparens in hoc loco fontium contradictio facile tollitur, modo 9) ex Scriptura V. T. annotetur, dari in eadem *verba* sic dicta *praegnantia*, quae in formali sua notione duplex verbum, veluti foemina vterum gerens, complectuntur, de quibus vid. GLASSII *Phil. S. l. III. tr. 3. can. 2. p. 747.* item CHRISTOPH. SONNTAGII *Diff. de verbis Hebraeorum praegnantibus*, Altd. 1697. 4. Ad hanc clas-



classeni spectat etiam nostrum לקח, quod saepius in Scriptura significat *capere aliquid, & dare alteri*, ita tamen, ut tunc *dandi* notio praeualeat alteri *capiendi*: hinc iuxta indolem horum verborum praesentia verba sic vertimus: *Et capiens dona dedisti hominibus*; quo sensu vocabulum לקח usurpatur, 1. Reg. XVII, 10. vbi Elia sitiens ad mulierem Sareptanam inquit: כבלי מים כבלי לי מעט מים כבלי, *cape quae so mibi*, i. e. *cape & da mihi paululum aquae in vase*, fere uti Germanus: *Nimm für mich ein wenig Wasser* &c. Sic etiam Hof. XIV, 3. כל תשא עון וקח טוב, *omnia peccata remitte, & cape, hoc est, capiens da nobis bonum*. Ex quo ultimo loco simul & hoc adparet, vocabulum לקחת rectius verti per Latinorum *cepisti*, & dedisti, quam *accepisti*. Ut adeo non sit opus, ut cum aliis interpretibus, sensum *accipiendi* hic nimis stricte sequentibus, mentem Spiritus S. in his verbis eam esse adfirmemus, quod Christus a Patre suo coelesti dona illa, quae hominibus hic dedisse dicitur, secundum humanam suam naturam collata prius acceperit, quae postmodum iisdem distribuisset: quorsum etiam in sua Versione respexisse videtur LVTHERVS noster: *Du hast Gaben empfangen vor die Menschen*. Quamuis enim hanc a Patre factam Christo, qua homini, donorum collationem negare nequiquam velimus, eam tamen hoc vocabulo לקח in praesentiloco simul inuolui, vel ex eodem solide demonstrari posse, vi locorum parallelorum iam allegatorum omnino negamus. Id, quod n) Christus triumphator hominibus dedisse dicitur, adpellatur מתנת, quod proprie denorat *dona gratuita*, Graece *χαρισματα*, qualia in solennibus festi Purim Iudaei ditiores pauperibus suis popularibus misisse leguntur Esther. IX, 22. Et sane non promerita, sed maxime gratuita erant omnia illa dona cum sanctificantia, tum ministrantia, quae Christus post ascensionem suam in coelos, primo statim







meliora suadentibus, Deo hominibusque, supra iam v. 7.  
 a nobis fuit obseruatum: nec vllum dubium est, idem ge-  
 nus hominum in vtroque versu a Propheta respici. Quod  
 si quis, collato invicem Ecclesiae tum V. rum N. T. statu,  
 per סוררים *speciatim* gentiles, qui ante Christi ascensio-  
 nem in coelos, & subsecutam vniuersalem verbi diuini  
 praedicationem, vt verbis Pauli Ephes. II, 2. lamentabilem  
 eorum statum describamus, *in lapsibus, & peccatis ambu-*  
*labant, iuxta viam mundi huius, secundum principem, cui*  
*potestas est aëris, & spiritus illius, qui nunc efficaciter agit*  
*in hominibus contumacibus,* quae est elegans, ni fallor, vocis  
 סוררים explicatio, intelligere velit, nos vtique non ha-  
 bebant admodum dissentientes, praesertim cum verba se-  
 quentia de habitatione horum סוררים apud Dominum  
 Deum, siue conuersione eorundem ad Deum, huic senten-  
 tiaae apprime fauere videantur. Quod vero 16) dicun-  
 tur סוררים in *Particip. Benoni Kal*, quod alias actum  
 continuum, & incessantem inuoluere solet, non eo sensu  
 accipiendum, ac si refractarii illi, in animi sui pertinacia,  
 atque malitiosa mentis repugnantia praefracte perseueran-  
 tes, adeoque qua tales, huius beatissimae apud Deum  
 inhabitationis futuri sint participes, quod diserte v. 22.  
 eiusmodi באשמיו מתהלכים denegatur; sed sensu po-  
 tius, vt Logici loquuntur, *Ampliationis*, descriptione a  
 statu ipsorum praeterito, & quales fuerint ante conuersio-  
 nem suam deprompta, quo sensu Es. XXXV, 5. 6. & Matth.  
 XI, 5. *coeci dicuntur videre, claudi ambulare, leprosi puri-*  
*ficari, surdi audire, & mortui resurgere,* itemque Rom.  
 IV, 5. *Deus impium iustificare* dicitur. Vnicum tantum 17)  
 adhuc circa vocabulum istud notamus, particulam ב, in  
 priori hemistichio voci ארם praemissam, simul cum ver-  
 bo



bo לקחתי אֶת־רֵעִי הַכּוֹנֵן hic esse repetendum, vt sensus adeo iam datus huc redeat: Imo etiam distribuisti dona inter rebelles siue refractarios, quod nobis suadet persuadetque partim gradatio רַב־רַב, partim paritas obiecti, generalis alterius, alterius specialis, partim ipsa styli conuenientia atque similitudo non tantum in Scriptura passim, sed &, quod maximum pondus sententiae nostrae adiicit, in hoc ipso Psalmo nostro, maxime v. 7, 9, 22, 24, 25, 27, 28, 29. observanda. Superest adhuc 18) *finis* huius distributionis, maxime respectu rebellium siue refractoriorum, quem Propheta his verbis exponit יְהוָה אֱלֹהֵינוּ לְשֹׁכֵן יְהוָה אֱלֹהֵינוּ *ad habitandum*, siue *ut habitent illi*, vt supra vertimus, *apud Dominum Deum*. Per quam habitationem rebellium hucusque hominum, sed conuersionis beneficio a Messia iterum donatorum, apud Deum Dominum, quantum nos quidem vim huius dictionis penetrare possumus, ipsam denotare existimamus hominum, maxime gentilium, iam ad Deum conuerforum reconciliationem cum Deo, & in sinum Ecclesiae Christianae quasi susceptionem, cum omnium beneficiorum spiritualium, peraeque atque aeternorum, quae huic Ecclesiae sunt propria, participatione. Quod vero verba יְהוָה אֱלֹהֵינוּ לְשֹׁכֵן יְהוָה אֱלֹהֵינוּ *habitare apud Deum*, scilicet rebelles, adeoque vocabulum יְהוָה אֱלֹהֵינוּ hic *obiectiue*, quam *subiectiue*, *Deum habitare apud rebelles*, interpretari malimus, nos mouet primo locutio de his סוֹרְרֵי אֶרֶץ סוּרְרֵי אֶרֶץ סוּרְרֵי *veruntamen rebelles inhabitant aridam*. Vti ergo in praesenti loco צְרוּרֵי צְרוּרֵי necessario denotat *obiectum* habitationis, non *subiectum*, cur quaeso יְהוָה אֱלֹהֵינוּ in hoc nostro loco, in quo Vates ad priorem procul dubio respexit, praesertim cum vtrobique idem detur subiectum & idem



idem praedicatum, non potius *obiectiue*, quam *subiectiue* interpretari velimus? Nec est, quod obiicias, impropriam, quod largimur, esse loquendi rationem, mortalium quempiam inhabitare Deum immortalem, tanquam locum: & illa sit insuper multo frequentior loquendi formula, in Scriptura passim obuia, Deum habitare apud homines, quam homines apud Deum. Nam, quantum ad posterius, respondemus, haec esse reciproca, & vno posito, alterum necessario sequi: Nec plane inusitata est in sacris literis ista loquendi formula, *hominem habitare apud Deum*: verbi causa, quando impii apud Iesaiam c. XXXIII, 14. quaerunt: מי יגור לנו אש אובלוד מן יגור לנו מוקרי עולם: *quis nostrum commorabitur apud ignem comedentem? quis nostrum commorabitur apud ardores aeternitatis?* per hos ardores & ignem ipsum Deum intelligi, & consequentia probant, & locus parallelus Deut. IV, 24. Ad primam vero obiectionem respondemus, vocabula יה אלהים aut esse per metonymiam *contenti pro continente*, scil. pro domicilio Dei in monte Sionis, siue pro tabernaculo in monte Sionis erecto; explicanda, vt passim in Scriptura hic ipse mons cum suo tabernaculo pro Ecclesia Dei, etiam Christiana N. T. cuius erat typus, vsurpatur, v. g. Psalm. XV, 1. LXV, 5. LXIX, 36. Ef. II, 2. 3. LXV, 9. aut subintelligendum vocabulum לפני, vt haec phraseologia integra habetur Ef. XXIII, 18. vbi quaestus conuersorum Tyriorum dicitur cessurus לישבים יהודה *habitantibus coram Domino*, & Pf. CII, 29. vbi vocabulum ישכון, in priori hemistichio absolute positum, in posteriori per propositionem aequipollentem eleganter explicatur: וזרעם לפניך יכון: *& semen eorum coram te firmabitur.* Qui locus cum perinde, vti noster, de con-



versione gentium ad Ecclesiam Christianam agat, causam sane non video, cur non itidem hoc nostrum **ישכן ירו** **אלהים** per hanc dictionem **ισοδυναμεσαν** לפני יהוה explicare debeamus. Accedit altera ratio, quod priuatio siue denegatio gratiae Dei, beneficiorumque diuinorum, ex hac in hominem redundantium, adpellatur exclusio siue denegatio habitationis commorationisue peccatoris apud Deum Pf. V, 5. vbi quidem non idem nostrum **ישב**, sed tamen fere Synonymum habetur **גור**, quando Dauid de impio pronuntiat: **לא יגורך רע** non commorabitur impius apud te. Confer alias de hoc infigni oraculo HACKSPANII *Not. Philol.* P. II. p. 232. NOL-  
DII *Concordant. Part.* n. 721. p. 887. IO. MICHAELIS *Disser-  
t. Hermeneutico-theolog. de Redemptoris nostri Ascensione,  
deque his, quae hanc comitantur.* Gryphisw. 1657. IOH.  
DEVTSCHMANNI *Disp. Phil. theol. de IES V triumphato-  
re ascendente.* W. 1692. LVDOV. de DIEV *Critic. Sacr.*  
p. 149.

V. 20.

ברוך אנני יום יום יעמס לנו האל ישועתנו  
סלח:

Hic 1) ad connexionem huius sententiae cum priori eo felicius indagandam, attendendum esse arbitramur ad **πάλιν** scriptoris nostri diuini, qui hucusque ascensum triumphatoris Christi ad superos, cum spoliis illis excellentissimis ex hac victoria Ecclesiae Christianae partis paulo penitius contempletus, ob id gaudium spirituale intimis animi fibris perciperat; iam huius superabundantis laetitiae non amplius capax, erumpit in haec gaudii plenissima textus nostri verba: *Benedictus sit Dominus quotidie.* Fere vt Paulus, aeternas gratiae & iustitiae diuinae vices in excisione Iudaeorum,



rum, & adsumptione gentium, multum diuque meditatus, tandem erupit:  $\text{בְּרִיךְ אֲדֹנָי}$ ! Rom. XI, 33. Cum vero 2) generi humano pro infinitis eiusmodi beneficiis diuinis nil amplius restet, nisi tenuissima Dei benefactoris laudatio, sui que nominis sanctissimi celebratio, hinc gratisimam suam voluntatem serenissimus noster Psaltes pro commemoratis illis Mesſiae beneficiis quomodocunque declaraturus, simulque alios lectores ad idem pietatis officium excitaturus, recte dicit  $\text{בְּרִיךְ אֲדֹנָי}$  *Benedictus sit Dominus*. Neque hoc duntaxat 3) vice simplici, vel ter aut quater iterata, sed  $\text{יְרֵם יְרֵם יְרֵם}$ , quae *Epizeuxis*, vti alias, sic etiam hoc loco denotat actum laudationis continuum & incessantem, hinc recte vertitur *quotidie*, quo sensu occurrit Prou. VIII, 30. vel etiam *in aeternum*, vti Ps. LXI, 9. vbi quod in posteriori hemistichio dicitur  $\text{יְרֵם יְרֵם}$ , in priori significatur per  $\text{לְעַד}$  *in aeternum*. Beneficium 4) tanta laude dignum est liberatio generis humani per Mesſiae facta redemptionem a grauissima tyrannide & iugo suorum hostium spiritualium, diaboli, peccati, mortis, inferni, & vno verbo omnium poenarum temporalium, spiritualium, & aeternarum, sub quo totum genus humanum, ante Christi aduentum in carnem, ob peccatum in Adamo admissum, suspirabat. Hunc enim cumulum poenarum diuinarum, cum primis spiritualium & aeternarum, per hoc onus, quod impositum nobis in textu esse dicitur, & eiusmodi vocabulo in fontibus exprimitur, quod semper in scriptura notat *onus graue atque molestum*, nunquam *gratiosum iucundumque*, a quo per Christum sumus liberati, non vero iuxta quorundam, maxime Homileticorum interpretum, sententiam, crucem & calamitatem piorum in genere, diuino auxilio alleuatam, hic intelligi, tota textus nostri  $\text{סְוֵלָה}$  requirere videtur. Accedit, quod

H 3

etiam



etiam alias haec miseria nostra spiritualis *onus* adpellatur, ut Es. IX, 3. vbi Propheta in eodem argumento, de summa laetitia Ecclesiae N. T. ob recuperatam suam per Christum libertatem spiritualem, de quo in praesenti loco agitur, occupatus, causam huius gaudii hanc allegat: *Nam iugum oneris eius, & baculum humeri eius, virgam exigentis eum, confregisti.* Et quinam sunt quaeſo illi, quos Christus ad se inuitat, iisque omnem refectionem pollicetur, *κοινωνίες καὶ μεσσησιαμένοι*, nisi peccatores miseri, onere peccatorum iraeque diuinæ praegravati, & eius pondere atque mole omnibus viribus spiritualibus exhausti, Matth. XI, 28. Tandem cum in *versu proximo* fusior explicatio verborum in nostro versu comprehensorum contineatur, & vero salus illa Messiae hominibus reddita ibidem adpellatur *למרת* *deductiones e morte*, adparere exinde censemus, *oneris* in nostro, & *mortis* in subsequenti versiculo vocabuli plane vnam eandemque esse mentem, vnum eundemque sensum. Hinc etiam *לנו* voculam sequentem *לנו nobis*, de omnibus hominibus, non tantum de piis, interpretari nulli dubitamus. Quousque enim se extendit medicina nostri Medici spiritualis, scil. ad omnes homines, qui per idem vocabulum *לנו* in versu proximo significantur, eousque se extendere morbum quoque necesse est. Sed quam lethalis etiam sit morbus ille spiritualis hominum, quam graue atque portatu difficile sit illud peccatorum onus, datur tamen felicissima huius morbi curatio, datur huius oneris certissimum alleuamentum, quod hisce verbis residuis describitur: *האל ישועתנו סלה* *Deus fortis salus nostra est, Selah.* Vbi 6) per *האל* eundem, de quo in toto cantico Vates noster eccinerat, intelligimus beatissimum nostrum Messiam, cui eum potiora fere nomina diuina in antecedentibus iam tribuis-



buisset, eum mox אלהים, mox ארני, mox טרי, mox יהוה,  
 mox יה אלהים adpellando, iam eundem adpellat nondum  
 vsurpato titulo האל: quod nomen diuinum non sine ratio-  
 ne a nostro scriptore in praesenti adhibetur. Cum enim in  
 immediate antecedentibus verbis oneris eiusmodi mentio-  
 nem fecisset, cui ferendo nec humani nec angelici humeri  
 erant pares, ad nos onere hoc oppressos consolandos dicit,  
 liberatorem nostrum ab hoc onere grauissimo non esse  
 אנוש, *miserum & mortalem hominem*, nec etiam מלאכים,  
 qui quidem etiam גברי כח *fortes robore* Pl. CIII, 20. itaque  
 θεῶν, ἡρώδης, ἀσπασίη καὶ ἔξοχα Coloss. III, 16. & alibi passim  
 in scriptura N. T. vocatur, quorum tamen potentia, quan-  
 ta quanta sit etiam, non tamen erat tanta, vt onus istud, istud-  
 que iugum a nostris ceruicibus auferre potuerint, sed vnus  
 & solus leuator huius oneris est האל, Deus robustissimus,  
 quo nomine diuino infinitum robur, & potentiam Dei nul-  
 lis limitibus circumscriptam simul connotari, & hac ipsa  
 notione natua nomen אל a ceteris nominibus diuinis di-  
 stingui, iam dudum a Philologis sacris, imprimis e radicē  
 eius, fuit demonstratum. Et sic idem noster Messias hoc  
 titulo, & quidem cum addito nominis ipsius אלהים,  
 אלהים *Deus fortis*, etiam a Jesaia insignitur Cap. IX, 5. Confi-  
 de hoc nomine auctores iam supra allegatos, IO. BVX-  
 TORFFII *Dissert. Philol. theol. Diss. V. de nominibus Dei*  
*Hebraicis* §. 45. p. 273. sequ. LEVSDENII *Philolog. He-*  
*braeum Dissert. XXXI. De Nominibus Dei Hebraicis*, §. 7.  
 p. 322. sequ. VALENT. FRIDERICI *Dissert. Philolog.*  
*de Synonymis Dei Hebraicis, potentiam eius arguentibus*,  
 §. 34. L. 1671. GEORGII SCHWARTZII *Dissert.*  
*Philol. de Nominibus diuinis ארני ac אל* W. 1679. BART-  
 HOLDI HOLTZFVS *Dissert. theol. de Nominibus Dei*



c. 2. §. 1. p. 15. sequi. Vnicum tantum, quanquam leuissimum, adhuc circa hanc vocem obseruamus, B. LVTHERVM nostrum in sua versione hoc vocabulum לַחֲמַי, posthabito accentuum nexu, construxisse cum antecedenti verbo יַעֲמַס לַחֲמַי hoc modo: *Gott leget uns eine Last auff, aber er hilfft uns auch, Sela.* quod tamen iuxta leges Accentuationis Hebraicae construendum erat cum subsequētib; verbis: *Gelobet sey der Herr täglich, er leget uns eine Last auf, aber der Herr hilfft uns auch,* tamen si haec discrepantia fontium atque Versionis, vti iam diximus, ad rem ipsam parum momenti adferat. Maioris momenti res est, quod 7) hic לַחֲמַי dicatur יְשׁוּעָתֵנו *Salus nostra*, quod profecto plus inuoluit, quam exprimit laudata LVTHERI versio, *aber er hilfft uns auch.* Nam etiam hominis interdum est, in hac vel illa calamitate saluare alterum, siue alteri esse auxilio, cum contra nullus hominum alterius hominis proprie possit dici salus, vti hoc termino abstractiuo Messias noster in praesenti loco dicitur: quo ipso partim omnis omnino salus, cum temporalis tum aeterna, homini peccatori denegatur, quod ex se suisque viribus propriis nihil habeat, interprete huius vocis optimo Deo, Hof. XIII, 9. nisi corruptionem; nec tantum homini, sed etiam omnibus aliis creaturis, quarum nulla sit, quae hominem saluum & summe beatum reddere queat: partim soli Saluatori nostro Christo vnice gloria plenissimae & consummatissimae hominis salutis qui solus omnimodam beatitudinem, quantacunque modo creatura rationalis capax est, temporalem, spiritualement & aeternam ex plenitudine sua inexhausta dare queat, vindicatur.



v. 21.

האל לנו אל למושעות וליהרה אדני למות

: תוצאות

*Obferu. 1.* Sectio isthaec continet fusiore[m] explicacionem versiculi antecedentis, quomodo scil. Messias, Saluator noster, nos saluos reddiderit, atque liberauerit ab onere peccatorum, & cum his arctissimo nexu coniunctarum poenarum diuinarum. Quam explicacionem dat auctor noster 2) propositionibus duabus aequipollentibus, quarum prior, vt pote clarior, explicat posteriorem, tanquam obscuriorem. In priori 3) subiectum idem est האל, id est fortissimus ille Messias, qui eodem titulo insigniebatur sub finem versus antecedentis. Quod vero 4) dicitur האל לנו Deus nobis, siue rectius, Deus noster, id notat pactio[n]is illud vinculum, quod nobis a Christo redemptis cum redemptore nostro intercedit, cuius respectu alias vno nomine dicitur אל עמנו Is. VII, 14. Hic ergo Immanuel siue האל לנו, quantus quantus est, est למושעות, *Deus fortis in salutes*, vt vulgo haec vox verti solet. Vbi praefixum ה *causam finalem*, vt saepe alias, denotat, in quem finem & in cuius gratiam Messias noster fit האל Deus fortissimus, nimirum non sibi, vt multi opibus polentes non aliis, sed sibi tantum suis opibus inferuiunt; sed vt illustrissimus ille siderum coelestium princeps atque dominus, Sol, non sibi splendet, sed creaturis omnibus, coelestibus atque terrestribus, quibus lumen suum, splendoremque subministrat; sic etiam Sol ille Iustitiae, quicquid habet bonitatis, quicquid luminis, quicquid caloris, habet tantum ad sustentandos, iuuandos fouendosque homines



mines, imo omnes omnino creaturas. Beneficium ipsum 6) quod attinet, dicitur illud מְשַׁעֵרַי, quod, cum amplius in Scriptura nullibi legatur, communiter quidem vertitur & ab interpretibus, & a Lexicographis, vti antecedens vocabulum יְשׁוּעָה *salus*, quasi nihil sit discriminis inter haec duo nomina; mihi tamen accuratius has duas voces conferenti, & inprimis attendenti, *alterum* illud יְשׁוּעָה descendere a radice coniugationis *Kal* יָשַׁע, inusitatae quidem in Scriptura, sed procul dubio significantis olim, quod ex coniugatis patet ab hac coniugatione derivatis, *salvum esse, alterum* vero nostrum illud מְשַׁעֵרַי ab eadem radice, sed coniugationis *Hiphil, transitivae* siue *effectivae*, alium saluare, siue saluum reddere, significantis, hoc discriminis inter haec duo vocabula dari existimo, vt prius יְשׁוּעָה ipsius subiecti, de quo enuntiatur, statum beatissimum, siue salutem *primario*, vel pro diversitate constructionis aut adfixionis, praeter hanc subiecti, alterius etiam *obiecti* ab hoc procuratam salutem *secundario* designet: At contra posterius מְשַׁעֵרַי tantum *transitivam* aliorum saluationem in sensu suo formali inuoluat, nullo habito respectu salutis ipsius subiecti: adeo ut haec duo in uno eodemque subiecto non semper sint coniuncta. Sic datur v.g. in sano Medico quidem יְשׁוּעָה *salus*, saepe tamen nulla datur pro aegroti, curae suae demandato, מְשַׁעֵרַי *saluatio*: contra in aegroti Medico datur quidem aliquando מְשַׁעֵרַי, quo feliciter sanitati resituit aegrotum, eodem genere morbi, quo ipse laborat, decumbentem, sibimet ipse tamen nullam medelam siue יְשׁוּעָה per eorundem medicamentorum usum adferre potest. En igitur beatissimam, & omnibus numeris absolutam bea-  
titu-



titudinem Saluatoris nostri Immanuelis, quippe qui sic est  
 יְשׁוּעָה siue *salus in se*, vt fit etiam מוֹשִׁיעַ siue *saluatio*  
*aliorum*; & sic etiam est מוֹשִׁיעַ *saluatio aliorum*, vt  
 sibi nihil decedat, sed sit & maneat in aeternum ipsa  
 יְשׁוּעָה siue *perfectissima salus*. Nec tantum aliorum  
 est saluatio in numero vnitatis, sed, quod 7) notari mere-  
 tur, מוֹשִׁיעוֹת *saluationes* in numero multitudinis. In  
 hoc enim differt rex noster Immanuel ab omnibus aliis  
 temporalibus regibus atque principibus, quod illi quidem  
 sint etiam interdum אֱלֹהִים לְמוֹשִׁיעוֹ, potentes im sim-  
 plicem, vel iteratam forte vnus vel alterius suorum ci-  
 uium salutem, nullus vero eorum sit tanto robore, &  
 tanta potentia instructus, vt possit dici potens, vt rex no-  
 ster, אֱלֹהִים לְמוֹשִׁיעוֹת, vt omnium suorum ciuium,  
 omnemque eorum miseriam potentia sua alleuare, vel pe-  
 nitus auferre queat, sed saepius talia subinde exercent  
 mala suorum ciuium animos, in quibus a suis in auxilium  
 vocati, cum Ioramo, Israelitarum rege, confiteri necesse ha-  
 bent: *Nisi Deus tibi sit auxilio, vndenam ego tibi opem*  
*feram, de area, an de torculari?* 2. Reg. VI, 27. Noster ex  
 aduerso rex coelestis est אֱלֹהִים לְמוֹשִׁיעוֹת *Deus fortis in*  
*saluationes*, vt nulla vel mente quidem concipi possit acer-  
 bitas suorum ciuium, siue interna, siue externa, siue cor-  
 poralis siue spiritalis, siue magna siue parua, cui non ipse  
 praesentissimum auxilium adferre queat. Hic est ille  
 פֶּעַר יְשׁוּעוֹת בְּקֶרֶב הָאָרֶץ, *qui operatur salutes in ter-*  
*ra*, vt ipse Dauid *desómnra* vocis nostrae in plurali nume-  
 ro positae subsequenti Psalmo LXXIV, 12. interpretatur.  
 Cumque 8) obiectum harum saluationum, ad quod spe-  
 ctent illae, in praesenti textu nostro sit ommissum, merito  
 I 2 voca-



vocabulum illud in tanta latitudine hoc loco accipimus, atque interpretamur, ut non tantum homines, sed omnes omnino creaturas in coelo, terra, atque profunditatibus maris, pro vniuscuiusque indole atque necessitate, has Saluatoris nostri saluationes participare lubenter adfirmemus. Id quod ipse Hieropsaltes iam supra Pf. XXXVI, 7. confessus erat, inquit: **אדם ובהמה תשיע**, *Hominem & bestiam saluas*, o Deus. Sequitur iam altera eiusdem sensus cum priori sententia: **וליהורו** *Domini Dei sunt mortis exitus*. Vbi 9) Praefixum ל notam casus tertii ad significandum dominum vel possessorem rei esse dicimus, quo sensu ליהורו Pf. XXIV, 1. *Domino terra & plenitudo eius* הארץ ומלואהו Pf. XLVII, 10. *Deo sunt chypei terrae* לאלהים מגני הארץ itemque עז לאלהים Pf. LXII, 12. esse dicitur. Jam is, qui est possessor, siue dominus egressionum mortis, vocatur ירהורו memorabili iterum, & nunquam in hoc Psalmo adhuc usurpata Messiae nostri nomenclatura, quanquam alias non ignoremus, vocabulum ירהורו punctis vocalibus אלהים animatum, praecedente vel sequente nomine אדוני de vero Deo saepius enuntiari. Vid. Jud. XVI, 28. Ef. III, 15. Ezech XVI, 14. Psal. LXIX, 7. Obiectum dominii, quod Messiae tribuitur, significanter quidem, sed paulo tamen obscurius adpellatur למות תוצאות *exitus mortis*. Vbi praefixum ה ל, quod multum dedit negotii interpretibus, aliis *in*, aliis *per*, aliis *contra*, aliis alio modo vertentibus, nos eodem sensu, quo in praecedenti voce ליהורו scil. casu tertio, dominium siue possessionem inueniente, accipimus, quod non tantum haec sit maxime consueta huius particulae in fontibus sacris significatio, sed quod

voca-



vocabulum מוצא etiam alibi construatur cum nomine possessoris, praemisso ל, scil. Job. XXVIII, 1. vbi haec verba leguntur: יש לכסף מוצא, est argento exitus. Vt ergo haec particula significet, esse quidem etiam morti suos exitus, verum non liberos, sed potestati atque arbitrio supremi Numinis subiectos. Mortis 12) vero vocabulum, cui in praesenti *exitus* certi tribuuntur, explicare prolixius superuacaneum existimamus, quod in vulgus constet, omne malum tum temporale, tum spirituale, tum aeternum, veluti peccati auctoramentum, & quod totum genus humanum, peccato semel in Adamo admissio, Pauli stylo *peruasit*, passim in scriptura notione *mortis* insigniri. Hoc ergo tantum notamus, eodem sensu etiam in praesenti loco accipi, nobisque antecedentis vocis יעמס synonymicam vel adpellationem, vel explicationem utique videri. Altioris indaginis rem esse arbitramur, in verum & genuinum sensum inquirere vocis vltimae 13) תוצאות. Quam enim nobis dant interpretes atque versiones huius vocis interpretationem *exitus*, intelligendo per exitum, *finem* & *terminum rei alicuius*, ad quem res iam est deducta, vt sensus sit, Deum nosse finem dare & felicissimum exitum omnium malorum, quo sensu in fontibus Graecis vocabulum ἐξέβασις legitur 1. Cor. X, 13. nobis, vt fateamur, quod res est, non est ad palatum, qui non tam *exitum* & *finem* mortis, quam potius eius *initium* & *accessum* hoc loco intelligi, vi aliorum locorum Scripturae, sumus firmiter persuasi. Quod si ergo usum huius voculae in Scriptura V. T. euoluamus, deprehendemus, quod ordinarie notet primam alicuius rei prodictionem, atque exitum quidem, sed qualis est ex domo primum exeuntium, quo res,



quae ad id tempus in obscuro otiosa quasi latuit, iam ad  
 vsum aliquem sui praestandum in aprium exit siue produ-  
 citur. Hoc sensu tribuitur מַרְצָה argento e terrae venis  
 effosso, in quibus vsque adhuc tanquam in tenebris otio-  
 sum & abstrusum iacuerat, Job. XXVIII, 1. equis ex pere-  
 grinis regionibus in alias terras exeuntibus 1. Reg. X, 28. 29.  
 Soli mane exorienti Pf. XIX, 7. item aurorae, Hof. VI, 5  
 herbae tenerae, e terra progerminanti Job. XXVIII, 27. vt  
 alia loca iam silentio praetereamus. Magis vero ad rem no-  
 stram facit, quod in frequentiori Fontium Hebraicorum  
 euolutione deprehendimus, vocabulum מַרְצָה saepius op-  
 poni alteri vocabulo מְבוֹרָא, quod *introitum rei*, vel figu-  
 rato sensu *cessationem ab opere aliquo peragendo* notat, imo  
 totam dictionem, *exitum & introitum* personae alicuius,  
 saepe *proverbiali locutione* in Scripturis accipi pro *rei ali-*  
*cuius susceptione, eiusque iterum omissione*, vel vt Germani  
 nostri loquuntur, *das Thun und Lassen eines Menschen*,  
 vid. 1. Sam. XXIX, 6. 2. Sam. III, 25. 1. Reg. III, 7. Pf. CXXI,  
 8. Ezech. XLIII, 11. His igitur fulcris subnixi, vocabu-  
 lum מְבוֹרָא in praesenti loco neutiquam pro *mortis fine*  
*vel termino*, vt interpretes tantum non omnes, sed, saluo  
 tamen aliorum iudicio, pro *mortis potius auspicio atque*  
*accessu* accipiendum esse arbitramur. Introducitur nimi-  
 rum hic *Mors*, i. e. omnes pestes generis humani, quae sunt  
 poenae peccatorum, tanquam tyrannus aliquis crudelissi-  
 mus, nil nisi aliorum internecionem atque interitum spi-  
 rans, sed ab alio vinculis constrictus, & in carcere, cuius  
 claves sunt penes suum victorem atque iustum dominum,  
 detentus, qui quidem habet interdum suos ex hoc carcere  
 exitus, ad aliis *nocendum*, suosque in priorem locum re-  
 ditus



ditus & introitus ad *quiescendum* ab iniuriis & damnis alteri inferendis, sed non ex suo arbitrio, suaeque voluntatis libertate, sed carcere prius a rege & domino suo reserato, & venia quasi exeundi redeundiue ab eodem exorata. Quamuis igitur hostes nostri spirituales, *Mortis* hic nomine venientes, habeant mille nobis nocendi vias, mille nos supplantandi fraudes, mille nos infestandi aditus, nihil tamen his omnibus proficient atque valebunt, nisi Deo, cuius imperio parere tenentur, permittente, dirigente, & ad bonum finem omnes ipsorum machinationes deducente. Vt adeo penitus sit idem verborum sensus & Prophetæ nostri: *Domini Dei sunt mortis exitus*: & Christi, in Apocalypsi c. I, 18 Johannem metu fere exanimem, & humi prostratum sic erigentis: *Ne timeas: Ego sum primus atque novissimus. Eram mortuus, sed ecce vivo ab aeterno in aeternum, & habeo claves mortis & inferni.* Quod si fas est, magna componere paruis, is est status *Mortis* in praesenti loco descriptus, qualem describit Poëta ventorum, sub *Aeoli* imperio frena mordentium. Hic enim

- - - vasto rex Aeolus antro  
 Luctantes ventos, tempestatesque sonoras  
 Imperio premit, ac vinclis, & carcere fraenat.  
 Illi indignantes magno cum murmure, montis  
 Circum claustra fremunt: celsa sedet Aeolus arce  
 Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.  
 Ni faciat, maria ac terras, coelumque profundum  
 Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

Sed



*Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,  
Hoc metuens, molemque & montes insuper altos  
Imposuit, regemque dedit, qui foedere certo  
Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.*

VIRGIL. l. I. *Aeneid.* v. 56. sequ.

Caeterum si quis pias iucundasque in hunc & ver-  
sum antecedentem legere velit meditationes, euoluat summi  
suo tempore, & quod Scripta eius relicta meram pietatem  
spirantia docent, haud cathedrarii Theologi, B. HENRICI  
MULLERI geistl. *Dank-Altar*, Fl. 1678. 8.

Et tantum de parte priori Psalmi huius Prophetici.

*Sanctifica nos DEus in veritate tua,  
Verbum tuum veritas est. Amen.*







**P**Riore huius Cantici triumphalis eiusque' commentationis parte per Dei gratiam absoluta, sequitur in parte eius posteriore ordine iam explicandus

v. 22.

אך—אלהים ימחץ ראש איביו קרקד שער מתהלך  
באשמור:

Vbi obseruamus 1) in hoc & subsequenti v. 23. & 24. contineri *amplificationem* versuum antecedentium 20. & 21. *a contrario*. Scilicet in his versiculis allegatis laudaverat, uti vidimus, Hieropsaltes Messiam, quod genus humanum, & inprimis credentes, ab onere suo spiritali, quod humeros ipsorum hucusque grauiter prefferat, per redemptionem suam liberasset, & adhuc hodie, quoties hostes sui spirituales iterum caput tollere, piosque denuo aggredi velint, ipsis sit saluti atque auxilio. Iam hoc ipso v. 22. & subsequentibus docet *a contrario*, qualem se exhibeat & exhibiturus sit in posterum Messias erga hostes suos imperio suo subiici nescios, sed pertinaciter potius eidem repugnantes; quam contrariam Saluatoris erga inimicos

A

micos



micos mentem nobis insinuat particula **אך** *contra* potius, quam *certe* vertenda; quo sensu, uti alibi in Scriptura, sic in hoc ipso Psalmo nostro supra v. 7. occurrit. Is vero 2) qui hostibus suis obuiam iturus esse dicitur, ipse est Messias, qui hoc loco iterum adpellatur **אלהים**, uti saepius iam in hoc Psalmo isthoc nomine diuino fuit insignitus: ut doceat Auctor, tantam adhuc esse potentiam, tantumque robur hostium etiam iam devictorum regni Messiae, ut, nisi ipse stet in acie prima, tanquam Imperator, Messias, nullae sint vires, nullum robur, nulla potentia suarum sub vexillo suo militantium copiarum spiritualium ad profligandam vim hostium, eosque superandos, quin potius, absque hoc duce si essent, hostes in hac pugna necessario, profligatis & oppressis piis, sint discessuri superiores. Ipse vero 3) *actus* deletionis hostium eleganter in praesenti loco exprimitur per **ימחץ ראש איבוי** *conquassabit caput hostium suorum*, ad significandum, hostes Messiae non tantum forte in fugam coniectum iri, sed penitus prostrandos, excindendos, & ad interuersionem vsque delendos esse, quod, capite hominis vel animantis cuiuscunque abscisso, reliquum corpus actutum emoritur atque exspirat. Sic ipse vates noster vim vocis **ימחץ** eleganter interpretatur Pf. XVIII, 39. **אמחצם ורעה יכרו קרם** *conquassabo illos, ut non possint iterum surgere*. Integra vero phrasologia eodem sensu, & quidem, uti in praesentis textu, de deletione plenaria & omnimoda hostium Messiae legitur Pf. CX, 6. & verbo tantum mutato Gen. III, 15. Quod vero 4) additur **שער קרקר**, *verticem pili*, siue secundum Hebraismum peruulgatum, *verticem pilosum*, scilicet **ἀπὸ τῆ κορυφῆς** repetendo 5) ex priori hemistichio vocem **ימחץ** *conquassabit*, **ἐξ ἡγέσεως** & maioris certitudinis atque attentionis excitandae gratia, quod scriptoribus sacris, maxi-

me



me serenissimo nostro vati in Psalmis est solenne, adici existimamus, ad certiore[m] lectoris animum reddendum, non *plantam pedis*, quae alias קרקר  $\tau\omega$  siue *vertici* in Scriptura opponitur, veluti Deut. XXVIII, 35. 2. Sam. XIV, 25. Iob. II, 7. inimicorum Messiae, nec manus ac brachia, sed ipsum verticem ipsumque cerebrum conquassatum iri. Quam vero alii interpretes hic differentiam quandam inter קרקר שער & ראש, simulque adeo peculiare aliquod mysterium de genere hostium hic latitans nobis retegere volunt, solido plane fundamento destitui nos equidem arbitramur. Idem 6) censendum de vltimis huius versiculi verbis מתהלך באשמוי, quae itidem antecedens verbum clarius adhuc interpretantur, scilicet quod hostes illi regni Messiae sint incorrigibiles, nunquam ad sanio[re]m mentem redituri, sed in malitia sua & oppugnatione Ecclesiae Christi perpetuo & incessanter perrecturi. Notat vero 7) verbum הלה, quod notissimum, stylo Scripturae passim *actiones* siue *operationes* hominum, easque, pro diuerso simul addito obiecto, vel *bonas* vel *malas*: de quo vocis vsu videatur GLASSII *Philol. S. l. V. tr. 1. c. 12. p. 1830.* Quod si 8) in *Hithpael* hoc sensu, vti in praesenti loco, adhibeatur, notat frequentatam, saepiusque iteratam actionem, atque hinc crebrioribus actibus acquisitam consuetudinem & habitum agendi. Sic de consuetudine sua bene operandi idem inquit Auctor noster התהלכתי באמתך *ambulo incessanter in veritate tua*, Pf. XXVI, 3. & Pf. CI, 2. *ambulo in integritate* לבתי בקרב בתי: *cordis mei in domo mea*. Contra de consuetudine male operandi, & de homine in malo habitum adepto in nostro textu dicitur מתהלך באשמוי *ambulat incessanter in peccatis suis*. Nec 9) caret emphasi, quod, cum in priore heh-misticio David adhibuerit nomen siue *Participium pluralis*



*ralis numeri* איכרי, iam in altera voce prioris illius *עֲשֵׂהוּ* *תוֹרָה* adhibeat *Participium singularis numeri* מתהלך, quod infert *distributionem*: quandoquidem vniuscuiusvis suorum hostium caput, ne vnico excepto, fracturus erat ac contusurus Messias. Tandem 10) vltima vox אשׁ notat generatim facinus, siue atrox aliquod delictum, qualem plena erat terra Babylon tempore Ieremiae, *Ier. LI, 5* מלאו אשׁ מקורו ישראל. Quae verba eleganter vertit LUTHERVS? **Denn jener Land hat sich hoch verschuldet am Heiligen in Israel.** Quale etiam אשׁ siue scelus Abimelech rex dicit esse crimen adulterii, *Gen. XXVI, 10*. Quod si vero אשׁ in *Singulari* iam inuoluit infigne piaculum, qualem oportet esse 10) reatum aduersariorum Christi, non in vno alteroque eiusmodi אשׁ siue scelere, sed באשׁמי in *multitudinis numero*, adeoque in quam plurimis id genus flagitiis incessanter ambulantium?

V. 23.

אמר אדני מבשן אשיב אשיב ממצורת ים:

*Obf. 1.* Pergit in describenda strage atque internecione hostium Messiae vates noster, quod nimirum talis sit futura, vt non tantum in acie quasi stantes & pugnantes inimici sint occidendi & delendi, sed etiam qui in fugam ex iis delapsi in iuga montium altissimorum, & latebras quasi terrae ad salutem confugerint, non tamen in iisdem salui futuri, sed ex illis in apricum & in lucem quasi a Messia protrahendi, & cum reliquis iam prostratis & deuictis itidem ad oreum mittendi. Quod cum vix fidem videatur inuenire apud lectorem, propter potentiam & robur hostium, adiicit 2) Propheta consuetam adfirmandi rem aliquam vix credibilem Prophetarum formulam אמר אדני ad immoram & indubitatam fidem verbis suis sequentibus conciliandam.

Hinc



Hinc in eundem finem mutat quoque 3) personam loquentem. Cum enim in versu antecedente in *tertia persona* de Messia verba fecisset, iam in *persona prima* ipsum Messiam introducit loquentem, vt nullus dubitandi scrupulus de veritate huius effati, quod ipse Messias profert, lectori amplius remaneat. Ipsum vero 4) effatum, quod interpretibus multum omnino faceffit negotii, omnium optime explicari posse arbitramur ex *Amosi IX, 3.* quod enim hic dicitur *אֲשִׁיב מִבְּשָׁן אֲשִׁיב* ex *Basan* illos *reducam*, hoc apud *Amosum* his verbis eloquitur Deus: *Tametsi se absconderint in vertice Carmelis, inde perscrutabor & retraham eos.* Nec obstat, quod in nostri textus verbis fiat mentio montis *Basan*, apud *Amosum* vero montis *Carmel*; nam in vtroque loco est *Synecdochica* loquendi ratio *Speciei* pro *Genere*, hoc est, si in altissimis cuiuscunque generis montibus se occultauerint, tamen inde protraham, & ad iugulandum eos populo meo tradam. Hinc etiam est, quod hi duo montes, *Carmel* & *Basan*, saepius in scriptura coniungantur, veluti *Ef. XXXIII, 9. Nabum I, 4. Jer. L, 19.* Forte etiam ex hac ratione montem altissimum significaturus Auctor noster exempli loco adducit in praesenti *Basan*, quod supra v. 16. & 17. montem *Basan* inter *הַרֵי גִבְעוֹת* h. e. *montes altissimos* retulerat. Quod vero postmodum dicitur *אֲשִׁיב מִמְצֻלוֹתַי* *reducam eos a profunditatibus maris*, notamus 5) elegantiam styli, quod eodem vocabulo, quo vates primum hemistichium concluderat *אֲשִׁיב*, alterum hemistichium iterum auspicietur *אֲשִׁיב*, quae *figura* a Rhetoribus adpellari solet *ἀναστροφὴ πρὸς ἑαυτὴν*. Rem ipsam vero iterum 6) explicat supra iam allegatus *Amosus c. IX, 3.* *Siue occultauerint se coram oculis meis in fundo maris, & quae sequuntur: vt adeo Messias ab altissimis montibus, hostium suorum refugiis, descendat in profundissimos terrae marisque hiatus ad eruendos*



dos inde & in apricum producendos hostes suos ibidem latitantes. Nam hostes 7) Messiae ex tenebris in solem reducendos, non vero pios, vel impios conuertendos a Messia, hoc loco intelligi, non tantum probat versiculus antecedens, vbi ἐν τῶς hostium fit mentio, sed etiam versus subsequens, & imprimis particula eius initialis למען, ut, quippe quae causam reddit, cur hostes Messiae in abditis terrae locis se occultantes in lucem publicam sint protrahendi, scilicet vt luant promeritas scelerum suorum poenas.

v. 24.

למען תמחץ רגלך בדם לשון כלבך מאיבוי  
מנהר:

Iam, quod diximus, 1) causa allegatur, cur inimici Messiae sint e latebris suis protrahendi, quo nimirum sanguis ipsorum tanta copia effundatur, vt riuuli sanguinis ex corporibus interfectorum passim promanent: quod inuoluit vocula initialis למען. Maximum vero 2) & cruentum imprimis fore supplicium, quod populus Dei sit sumturus sub Imperatore suo Messia de his suis hostibus spiritualibus & corporalibus, subinnuit h. l. vates, duplici effectu huius plenissimae cladis adducto, quando dicit, tantam fore hostium internecionem atque stragem, vt primo pedes victorum, quos hic loci 3) mutatis iterum personis, in secunda Auctor noster alloquitur, cruentandi sint nimia effusi sanguinis hostilis copia, qua dictione alias idem noster Propheta plenissimam iusti de hostibus suis deportatam victoriam ἐμπαρτωῖς describit, quando Ps. LVIII, u. Laetabitur, inquit, iustus, quando videbit vltionem eorum, & gressus suos lauabit in sanguine impii. Altero deinde effectu 4) eadem victoria gloriosa, prostratis & deletis hostibus, describitur, quando pergit Vates: Lingua tuorum canum, ἀπὸ τῶ καὸν ex priori 5) hemistichio repetendo verba בדם תמחץ רגלך ingetur sanguine, qua dicitio-



dictione 6) itidem, ut priori, maxima effusi sanguinis hostium vis atque copia stylo Scripturae designatur. Sic *Elias* iussu Dei violentam & cruentam mortem ob innocentem *Nabothi* sanguinem effusum *Achabo* annunciaturus: *Quo loco*, inquit ad regem in vinea Nabothi offensum, *canes lincere sanguinem Nabothi, tuum etiam, tuum*, inquam, *eodem loco lingent canes sanguinem* 1. Reg. XXI, 19. cui vaticinio atque comminationi diuinae exacte respondit etiam euentus 1. Reg. XXII, 38. Atque sic constat 7) per has duas Propositiones: *Pes tuus cruentabitur sanguine*, itemque, *lingua tuorum canum*, vnam eandemque rem significari, plenissimam & acerbissimam hostium Messiae calamitatem atque deletionem. Cum vero in priori hemistichio tantum sanguinem copiosissime effundendum significasset vates, omiffa mentione corporum, ex quorum vulneribus, tanquam fontibus, hi riuli sanguinis sint profluxuri, iam 8) in altero hemistichio sub finem eius ipsum subiectum huius effusi sanguinis duabus vocibus מַנְוֵי מַאֲבֵי non sine emphasi describit, vbi circa priorem nihil habemus, quod moneamus, nisi quod 9) Praefixum מ respiciat antecedentem vocem מַנְוֵי sanguinem, hoc sensu: *Cruentabitur pes tuus, itemque lingua canum tuorum, sanguine*, sed cuius? sanguine nimirum ex hostibus tuis sauciatis, atque ex his vulneribus mortem denique oppetentibus, profluente. Circa posteriorem vero vocem מַנְוֵי duplex 9) notari meretur emphasis, primo quidem, quod cum substantiuum cum praefixo מ iam fuisse praemissum, denuo affixum, idem Substantiuum respiciens, cum eodem praefixo subiungatur, quod quidem aliqui interpretes per Pleonasmum, sed, ut nos quidem existimamus, praeter necessitatem, fieri volunt, quippe qui aliis locis Scripturae inducti per hoc Affixum adiectum דַּעַר מֵאֵס Subiectum significari, & lectori singulari-







mum iterum redibant, eorum necessarii atque amici, in-  
 primis foeminae, ipsis cum instrumentis musicis, certo or-  
 dine obseruato, obuiam ire solebant, & vario symphonia-  
 rum strepitu res egregie gestas & laudes Imperatoris du-  
 cumque belli publice concelebrabant, quod exemplo  
*Miriam* post suffocatum aquis rubri maris exercitum Pha-  
 raonis Exod. XV, 20. 21. & *filiae Iephtae* Ammonitis a patre  
 deuictis Iud. XI, 34. itemque *mulierum Iudaicarum* post pro-  
 stratum occisumque a Davide Goliathum 1. Sam. XVIII, 16. 17.  
 ex Scriptura constat: sic etiam in hoc & sequenti versu, post-  
 quam in antecedentibus diuinus Scriptor noster cladem &  
 interitum hostium Mesiae sub schemate victoriae admo-  
 dum cruentae descripserat, iam describit iubila atque gau-  
 dia piorum ob hostes Ecclesiae occidione penitus occisos  
 sub schemate introitus victoris redeuntis in urbem, & ci-  
 uium cum tympanis, aliisque organis Musicis eidem obui-  
 am euntium. Introitus ipse 2) triumphatoris nostri ex  
 praelio cum victoria redeuntis dicitur in textu הליכרת  
*incessus*, quo ipso significatur Mesiae publicatio siue mani-  
 festatio huius victoriae ab hostibus obtentae. Vti victo-  
 res olim per solennem in urbem introitum ciuibus suis stra-  
 gem hostium suorum, & deportatam ab iis victoriam pu-  
 blice significabant. Hinc idem introitus exponitur 3) vt  
 ciuibus sat cognitus atque manifestus, ראו inquit Orator  
 noster, *viderunt*, scil. homines, siue, vt LV THERVS recte  
 vertit *Impersonaliter*: *Man siehet*: quo sensu eadem per-  
 sona tertia in *multitudinis* numero occurrit Esth. II, 2. יבקשו  
*quaerant*, siue *quaerantur*, vbi iterum expresse LV THER-  
 VVS: *Man suche dem Könige junge schöne Jung-  
 frauen*. Et sic sane beneficium redemptionis generis hu-  
 mani ab hostibus suis spiritualibus atque corporalibus tum  
 vt acquisitum in statu Christi exinanitionis, tum vt adpli-  
 catum



catum in statu eius exaltationis, neutiquam beatissimus Saluator noster latere voluit homines, sed hoc ipsum in Scriptura Veteris & Noui Testamenti passim variis modis reuelauit, vt iam omnes homines ex his tabulis sacris illud, modo velint, quantum ad salutem sibi est necessarium, cognoscere possint, ipsi etiam vere credentes illud actu non sine singulari animi oblectatione cognoscant, & indies magis magisque cognoscere satagant. *Nos vero*, inquit Paulus, 1. Cor. II, 10. *non spiritum mundi accepimus, sed spiritum, qui est ex Deo, vt sciamus, quae Deus est nobis gratificatus.* Is 4) qui tam magnifico & glorioso apparatu incedit, singulari atque notabili nominum ut & casuum permutatione a Propheta nostro describitur. Nam adpellat eundem primo אלהים, deinde מלך, denique אלהים. Casus vero permutat, dum prima voce אלהים *vocandi* casu & quidem sine *Affixo nominali* eundem alloquitur, reliquis vero duas voces מלך & אלהים non tantum in *secundo casu*, sed etiam cum *affixo primae personae* אלהי & מלכי non sine significatione internae animi adfectionis, laetitiae, amoris atque fiduciae, quod hic Deus sit Deus *suus*, hic rex sit rex *suus*, *ἐμὸν Θεὸν* expressit. Fere vti idem noster serenissimus Auctor his ipsis duobus vocabulis cum affixo primae personae constructis אלהי ואלהי *Rex mi*, & *Deus mi*, Pf. V, 3. ad exauditionem precum suarum diuinum Numen flectere contendit. Quod vero 5) vocula הליכתי in posteriori hemistichio denuo repetitur, subintellecto, 6) quod praecesserat, vocabulo ראו *viderunt*, inquam, *ingressus praepotentis Dei mei*, & *Regis mei*, in hunc finem procul dubio factum est, vt doceret, maiestatem, dignitatem & magnificentiam huius solennis introitus, scilicet quod spectatores eiusdem viderint introitum, non forte hominis plebei, aut regis tantum terrestris, sed introitum ipsius Dei,

ipsius



ipſius praepotentis Numinis, ipſius Regum, ne Dauide quidem excepto, Regis & dominantium Domini. Ad extremum 7) delineatur hic introitus Meſſiae non tantum vt *cognitus*, vt *maieſtatis*, ob maieſtatem introeuntis domini, & *dignitatis plenus*, ſed etiam 8) vt *ſanctus* atque religioſus, quando eundem adpellat Auctor בקדש הליכורת *inſeſſus in vel cum ſanctitate*. Quo ipſo ſine dubio lectorem docere vult vir diuinus differentiam inſeſſus hoſtium deuietorum, ipſiuſque Victoris Meſſiae. De illis dixerat verſu antecedente 22. quod ipſorum הליכורת inſeſſus fuerint מתהלך באשמור, ſiue vnusquique eorum fuerit באשמור, inſeſſanter ambulans in ſuis flagitiis, huius vero הליכורת dicuntur fieri בקדש *in ſanctitate*, ſiue ipſe contra fit מתהלך בקדש *inſeſſanter ambulans in ſanctitate*. Quo ſenſu idem vocabulum eodemque cum praefixo ב a Vate noſtro de Deo uſurpatur בקדש ורכך *o Deus, in ſanctitate via tua eſt*, Pl. LXXVII, 14. Et MOYSES in ſuo carmine panegyrico, ob Pharaonem cum copiis ſuis ſuffocatum modulato, eundem adpellat בקדש נאדר *magnificum in ſanctitate*, Exod. XV, 11. vt adeo hoc nomine ſumma ſanctitas morumque reſtitudo noſtri Triumphatoris deſignetur. Haec tenus deſcriptio introitus ſolemnis Victoris noſtri & Triumphatoris Meſſiae. Iam ſequitur

v. 26.

קדמו שרים אחר נגנים בתוך עלמות  
תופפות :

Deſcriptio chori Muſici, huic glorioſo Victori obuiam euntis, cuius deſcribit auctor noſter 1) *diſtinctum muſicorum ordinem*, 2) *diſtinctas muſicae partes*. *Ordinem* quod ſpectat, קדמו ducunt chorum cantores, אחר claudunt eundem pullantes, בתוך ab utroque latere cingunt chorum virgines tympaniſtriae. Quantum vero ad *partes* ſiue officium muſicum,

B 2

ficum,



ficum, trium diuerſorum muſicæ artis generum in præſenti fit mentio. Nam qui antecedunt, dicuntur שריר cantores, hoc eſt, qui citra uſum instrumentorum muſicorum aſſa tantum voce laudes & res geſtas victoris ſui decantabant. Qui hos conſequuntur, dicuntur נגנרי, quæ vox hic ſolum in *Kal* uſurpata, in *Piel* alias non infrequens, denotat organa muſica, inprimis cytharam digitis tractantes ſiue pulſantes. Horum tandem lateri iunguntur virgines tympaniſtriae. Has enim ſequioris ſexus perſonas in eiuſmodi ſolemniſſimis apud populos Orientales, quod moribus noſtris in uitio poneretur, non fuiſſe otioſas, ſed ſimul cum aliis obuiam iuiſſe domum ex acie redeuntibus victoribus maritis, aut aliis propinqua cognatione coniunctis uiris, ſupra iam allegata exempla Miriam, filiae Iepthæ, & mulierum Iudaicarum tempore Saulis aſſatim confirmant. Significanter uero hoc loco Hieropſaltes adhibet uocabulum עלמרי, de quo aliunde conſtat, quod non tantum notet uirginem caſtam, ſanctam atque illibatam, ſed etiam in ſuperdomi a parentibus ſingulari cura cuſtoditam, & ab omni marium conſortio longiſſime abſconditam atque remotam. Quales uirgines tam ſanctè intra penetralia interiora paternarum aedium cuſtoditæ cum hic nihilominus & quidem non ſeparatim, ſed uirorum laudes Meſſiæ celebrantium caetui admittæ legantur in occurſum Meſſiæ victoris exiſſe, ad idem cum maribus pietatis officium ipſi perſolendum, hoc dubio procul habet arcani ſenſus, quod ſcilicet tantum ſit futurum omnium Chriſtianorum de proſtratis occiſisque hoſtibus ſui Regis Chriſti gaudium, tantaque exultatio, ut & ipſæ uirgines *עלמרי*, uix pedem alias ex domo parentum ſuorum efferentes, intra umbram uelumque paternarum aedium hoc nuntio allato continere ſe amplius nequeant, ſed cum aliis utriuſque ſexus Chriſtianis gaudio exul-



exultantes in aduentum huius triumphum agentis Herois sint prouolaturae, & ad decentem honorem eidem exhibendum virorum caetui se adiuncturae. Quemadmodum supra v. 13. idem Orator noster praedam ab hostibus Messiae fufis fugatisque domum reportandam tam locupletem fore praedixerat, vt etiam בֵּית בֵּית *habitratrix domus* eandem dispertire debeat. Hae vero sic descriptae virgines dicuntur in textu nostro תַּרְפָּוֶרֶת, voce quidem ἀπαξ λεγόμενη, cuius tamen genuina significatio e radice sua תַּרְפָּ, *tympanum*, facile poterit haberi, vt adeo recte ab interpretibus vertatur *tympanistriae*. Cumque insuper exempla Biblica saepius iam recensita, veluti *Miriam*, Exod. XV, 20. *filiae Iephthae* Iud. XI, 34. & *mulierum Iudaicarum* aeuo Saulis 1. Sam. XVIII, 6. nos abunde doceant, quod in huius generis solennitate publica inprimis foeminae vsu tympanorum sibi vindicauerint, etiam his exemplis iam expositam praesentis vocis solitariae significationem sufficienter confirmari posse arbitramur.

v. 27.

במקהלות ברכו אלהים אדני ממקור ישראל:

*Obs. 1.* Sunt ex Interpretibus, qui tribuunt haec verba choro Musico, in honorem Messiae obuiam eunti, ad finem antecedentis versus *per Ellipsin* adiiciendo: *dicentes*. Nos tamen existimamus, esse potius haec verba tribuenda eloquentissimo nostro laudatori Dauidi, quam celebranti & laudanti collegio illi musico, *partim* quod praeter necessitatem *Ellipsin* fingere nefas sit, qualis hic necessitas datur nulla: *partim* quod huic Ellipsi repugnet συνάφεια textus. Vti enim in hoc versu 27. Dauid adhortatur gentem Iudaicam ad celebrandum colendumque Messiam: sic v. 33. quem huic nostro omnino parallelum esse censemus, adhortatur Gentiles siue paganos, vt & ipsimet simul



cum gente Iudaica hunc Messiam cultu religioso excipiant atque venerentur: *partim* denique quod in locis saepius iam allegatis parallelis, si quando summa cantici exeuntis in victoris occursum turbae recensetur, verba cantici Spiritus S. *נָאֲרֹאֵל תֹֹּהֲרֹוֹן* ipsi turbae canenti vindicet. Vid. Exod. XV, 21. & 1. Sam. XVIII, 7. Obseruamus 2) B. LV THERVM cum aliis Interpretibus vnicam tantum in his verbis agnouisse Propositionem, sed, si leges *Accentuationis*, uti par est, attendere velimus, Propositiones in hoc versu habentur duae, hoc modo: *In congregationibus benedicite Domino, Domino* (benedicite,) *qui estis ex fonte Israël*: in qua sententia nos confirmat quoque altera, huic, uti iam diximus, omnino parallela adhortatio ad gentes directa v. 33. *ô regna terrae, cantate Domino, psallite Domino Selah.* Et sic B. SCHMIDIVS: *In congregationibus benedicite Deo: Adonai (Domino) e fonte Israël.* Sic VERSIO ITALICA: *Benedite Iddio nelle raunanze, benedite il Signore voi, che siete della fonte d'Israël.* Sic GAL-LICA: *Benissez Dieu dans les assemblées, & le Seigneur vous, qui êtes de la source d'Israël.* Sic denique ANGLICA: *Bless ye God in the congregations, even the Lord from the fountain of Israel.* Nec caret 3) emphasi eiusmodi *synonymica* & *aequipollens* duplex elocutio, quippe de qua ex Scriptura constat, quod ordinarie ad incrementum & augmentum actionis commendandum a Spiritu S. adhibeatur. Ad rem ipsam vero 4) quod attinet, nos equidem, descripto iam in antecedentibus ab Hieropsalte pluribus Messiae *exaltationis* statu, & triumpho eius solenniter ab hostibus acto, nunc *finem eius* & *effectum* eius praestantissimum, scilicet *conuersionem tum Iudaeorum, tum Gentium* ad hunc ipsum Messiam describere velle Dauidem, haud forte temere arbitramur. Et quidem in hoc v. 27.



vt & sequenti 28. & 29. dicimus exponi *conuersionem Iudaeorum*, tanquam primum finem exaltationis Mesſiae, quam hoc loco Vates deſcribit ab *effectu*, ſcilicet laudatione & celebratione Mesſiae, vbi ſimul  $\zeta$ ) commemoratur locus huius celebrationis במקהלות *in congregationibus* ſcil. ſaceris iisque publicis, quo ſenſu *ſemel* adhuc, tametſi ſub *forma mafculina*, vox eadem & cum eodem verbo בך ב constructa legitur Pf. XXVI, 12. במקהלים אברך יהוה *in congregationibus benedicam Domino*. Haec vero circumſtantia loci in praefenti textu inprimis mihi animaduertenda videtur, quod alibi Pſaltes noſter praedicationem Euangelii tempore N. T. finemque eius & effectum, ſcilicet *conuersionem Iudaeorum*, ſignificaturus, hac ipſa formula *laudationis Dei in conuentu publico* eandem exprimat, quando Pf. XXII, 23. 24. Mesſiam peracto in exinanitionis ſuae ſtatu redemptionis negotio, ſic loquentem introducit: *Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in media congregatione laudabo te. Timentes Dominum laudate eum, omne ſemen Iacob honorate eum, & timete eum omne ſemen Iſraëlis.* Qui locus, ni fallor, inſigniter illuſtrat noſtrum praefentem verſum. Nam, quod iam annotauimus, *primum* cultus vere credentium Noui Teſtamenti eadem formula *laudationis Dei in publicis congregationibus* a noſtro Auctore deſcribitur, *ſecundo* ipſorum *Iudaeorum conuſio* ad ſuum Mesſiam pari *laudationis* vocabulo exprimitur, & *tertio* perinde, vt in noſtro textu, ad Deum debito venerationis cultu excipiendum ad Iudaeos fit *adhortatio*. Quod ſi inſuper hiftoriam N. T. poſt Chriſti aſcenſionem in coelos, & ſolemnem Spiritus S. die pentecoſtali ſuper Apoſtolos effuſionem hic conferre velimus, magis adhuc in ſententia iam allata confirmamur, ipſumque adeo exordium complementi huius vaticinii Prophetæ noſtri iam tum factum



ctum esse, nulli dubitamus adferere: quandoquidem de Apostolis & reliqua Iudaeorum doctrinam Christi vera fide amplectentium concione hoc ipsum testatur LVCAS Act. II, 46. 47. *Quotidie quoque, inquit, perdurantes vnanimiter in templo, & fragentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis collaudantes Deum,* & quae sequuntur: Hoc vero iam supposito, conuerfionem tum Iudaeorum tum Paganorum ad Christum in sacris litteris describi publica praedicatione & celebratione Numinis diuini in publicis & solemnibus Christianorum conuentibus, facile exinde 6) colligitur, quantopere peccent tum multi, ex nostris etiam, maleferiati ingenii homines, aperiique & professi cultus diuini publici contemtores, qui quasi nullo iure teneantur frequentandi coetus Christianorum publicos, vix semel iterumque per annum sacris sui loci solennioribus publice institutis intersunt: tum maxime quidam sanctitatis singularis laudem famamque prae caeteris adfectantes, sed atro reuera vitiosae separationis carbone immaculatum & ab omnibus peccatorum sordibus repurgatum videntes, eundem, ne forte ipsorum moribus scilicet sanctissimis aliquid impuritatis atque maculae adfricetur, cane peius & angue fugiunt, suisque tantum priuatis conuenticulis sacris operantur. Hi sane, cum ipse Christus in selectissimo suo & duodecim duntaxat personarum auditorio inquinatissimis moribus Iudam Ischariotem habuerit tuleritque auditorem, num omnes suae segregatae concionis homines ab omni vitae macula atque labe absoluere queant, viderint ipsimet. Nos, hoc obiter annotato, obseruamus 7) quandoquidem in praesenti nostro versu, & aliis in locis Scripturae, conuersio tum Iudaeorum tum Gentilium significanter



ficenter admodum exprimitur nomine laudationis atque benedictionis Numinis supremi, quantae dignitatis, gratiae atque praestantiae apud Deum res sit Christianorum ex corde per fidem purgato profectum Deum laudandi celebrandi-que officium. Quod etiam 8) probat idem vocabulum ברכו in altera Propositione huius versus denuo repetendum: *Laudate*, inquam, *Dominum, qui estis ex fonte Israël*: qualis repetitio vocis ex priori versus hemistichio in altera eius parte iam supra a nobis fuit obseruata v. 9. 19. 22. 24. 25. & infra quoque v. 31. iterum erit obseruanda. Illi vero, qui ad Messiam nostrum tempore noui foederis sint conuersuri se, illumque celebraturi, eleganti 9) Metaphora hoc loco adpellantur מַסְקֵרֵי יִשְׂרָאֵל *ex fonte Israël*: quam esse descriptionem Gentis Iudaicae in genere, vt credamus, his maxime argumentis inducimur: *primo*, quod in versu immediate subsequente fiat distributio & recensio praecipuarum & illustrium huius gentis tribuum particularium, quae Messiae tempore noui testamenti & eius congregationi siue Ecclesiae nomen sint daturae: accedit, quod & verba v. 29. *Corrobora, o Deus, id quod operatus es inter nos*, omnium optime de Ecclesia Iudaica possint explicari. Atque sic demum, absoluta de Iudaeis ad Messiam conuertendis praedictione, iam progreditur Auctor noster v. 30. ad describendam conuersionem Gentilium. Praeter hanc vero iam allegatam textus σὺν ὁφθαλμοῖς militat *secundo* pro sententia nostra, quod alibi in sacro codice gens Iudaica hac *metaphorica* locutione, ab aquis fontium depromta, repraesentetur. Insignis inprimis locus habetur Es. XLVIII, 1. *Audite hoc, domus Iacob, vocati nomine Israël* יִצְהָרֵי יְהוּדָה *& qui ex aquis Iudae exierunt*, vbi videmus, eosdem, qui adpellati prius fuerant *domus Iacob*, & *vocati nomine Israël*, nunc notatione *Synonymica* describi, quod *ex aquis Iudae prodierint*.

C

Ean-



Eandem *metaphoram* iterum in capite subsequente LI, r. idem Propheta adhibet: *Audite me, sedentes iustitiam, quae-  
rentes IEHOVAM, respicite petram, ex qua excisi estis, &  
excauationem foueae, ex qua effossi estis.* Per hos vero ex-  
cisos effossosque intelligi Iudaeos, optimus verborum suo-  
rum interpres ipse indicat, Iesaias, dum pergit: *Respicite  
Abrahamum patrem vestrum, & Saram, quae peperit vos.*  
Ut adeo *praeifixum* מ hoc loco eandem suam significationem  
vfitatam *Ex* retineat, quam supra habuerat v. 24. in vocibus  
מֵיכָר מֵיכָר Eadem mens est Gallici interpretis: *Be-  
nissez Dieu dans les assemblées, & le Seigneur, vous qui êtes de  
la source d'Israel,* itemque GIOVANNI DIODATI: *Bene-  
dite il Signore voi, che siete della fonte d'Israel.*

v. 28.

שׁוֹם בְּנִימָן צִיּוֹר רֹדֵם שְׂרֵי יְהוּרָה רְגַמְתָּ  
שְׂרֵי זְבוּלֹן שְׂרֵי נֶפְתָּלִי:

Data in versu praecedente conuersionis Iudaeorum *in  
genere* ad Messiam tempore N. T. descriptione, iam pergit  
vir diuinus & eandem vberius exponit 1) *speciatim*, quod sci-  
licet ex hac gente non tantum infimi atque plebei, sed etiam  
primores & proceres huius nationis ad Ecclesiam N. T. suo  
tempore sint accessuri. Hinc adeo 2) particulam שׁוֹם ad  
proximum versum immediate antecedentem eiusque vo-  
cem במקדוֹת *ibi*, scil. in illis congregationibus, quam ad  
collegium musicum, cuius mentio facta in versu remotiore  
25. referre malumus. Quod vero deinde 3) quatuor tantum  
& quidem praecipuarum gentis Israëliticae tribuum nomina  
recenseantur, non sic utique capiendum, ac si ex aliarum hic  
non commemoratarum tribuum purpuratis nulli plane sint  
nomen inter Ecclesiae Christianae cives professuri suum, sed,  
quod Oratoribus atque Poëtis maxime solenne est, hoc lo-  
co illustrissimus Orator noster beneficio *Synecdochicae Spe-  
cici*



*ciei pro Genere* locutione per hos nominatim expressarum  
 tribuum principes *generatim* quosuis dignationis alicuius &  
 existimationis in gente Iudaica viros haud dubie vult intel-  
 lectos. Inter hos vero familiam ducit בנימן צעיר ררם  
*Beniamin paruus, dominator eorum*, quae tribus h. l. adpella-  
 tur צעיר parua, quod profeminator eius BENIAMIN, fi-  
 lius Iacobi, inter fratres suos esset natu minimus. Quem-  
 admodum Iacob respectu fratris sui natu maioris Esau ite-  
 dem adpellatur צעיר Gen. XXV, 23. itemque Ephraim, filius  
 Iosephi, respectu Manassis, fratris natu maioris, ib. c. XLVIII,  
 14. Hic *Beniamin paruus* dicitur ררם dominator eorum,  
 scilicet Iudaeorum, quod primus Rex gentis Iudaicae a Deo  
 ipso constitutus; SAVL ex tribu *Beniamin* erat oriundus, vt  
 adeo ח h. l. non fit *radicale*, ac si radix esset, iuxta quorun-  
 dam interpretum sententiam, ררם, sed potius ררר dominatus est,  
 ח vero *Affixum verbale*, quod quidem alias in  
 Participio praemittit sibi *Kametz*, hoc loco vero irregulariter  
*Tfere*, veluti Ies. LXIII, II. ח המעל educens eos. Alias  
 ipsum verbum ררר dominatus est, construitur cum sub-  
 sequente nomine siue Affixo mox interueniente Particula  
 ב, vt Leuit. XXVI, 17. Ies. XIV, 2. & reliqua, mox *absolute*,  
 vt Leuit. XXV, 53. Thren. I, 13. atque sic etiam in praesenti  
 loco. Tribum regiam *Beniamin* excipit ח altera, robo-  
 re, potentia atque virtute prae caeteris insignis tribus IV-  
 DA, שר יהודה. Quemadmodum vero priorem tri-  
 bium, eiusque excellentiam hoc inprimis caractere desi-  
 gnauerat Vates, quod primum Israëlitis dederat Regem  
 Saulem, sic alterius huius IVDAE tribus praestantiam indi-  
 gitat voce adiecta רגמת, quae vox, cum nullibi alias  
 in Scriptura redeat, eiusque adeo significatio genuina ex  
 sola radice רגב lapidauit, siue lapidibus obruit, fit eruenda,  
 multum sane negotii dedit interpretibus. Nos, habi-



ta ratione allegatae radices, vocem hanc, quae non habet, vti Hebraei loquuntur, focium siue fratrem, interpretamur *congeriem lapidum*. Et cum *Affixum* ם eodem modo, vti in praecedente voce ם, respiciat Israëlitas, tribum *Iudam* hoc loco dicimus adpellari *congeriem lapideam* siue *murum lapideum* suae gentis. Scilicet quemadmodum potentissimus quisque Rex atque Princeps nihil valet, nisi habeat inter suos ciues, robore, viribus atque potentia pollentes armisque instructos milites, qui reliquis omnibus sint quasi murus inexpugnabilis, iisque sua potentia, praesertim si vis aliena ingruat, sint praesidio atque munimento: sic talis hoc loco describitur tribus *Iuda*, quod propter potentiam & robur suum, quo inter caeteras tribus multum excellebat, sit quasi suis nationalibus ad instar munimenti murique ex lapidibus exstructi, quem hostes transcendere vel diruere haud facile queant. Cui interpretationi nostrae cum maxime fauet illustre illud Patriarchae IACOBI, iam morti proximi, de hac tribu vaticinium Gen. XLIX, 8. 9. *Iebuda, te, te, inquam, laudabunt fratres tui, manus tua erit in ceruice hostium tuorum, incuruabunt se filii fratris. Catulus es leonis, Iebudab, a praeda ascendisti, fili mi. Curuauit se, cubuit sicut Leo, & sicut Leo vetulus, quis excitabit eum?* Et sic in hoc ipso vaticinio Iacobi v. 24. IOSEPH eodem, ni fallor, sensu, dicitur *lapis Israël*, מִשֵּׁם רְעוּרָא אֶבֶן יִשְׂרָאֵל *Exinde pastor, LAPIS Israël*. Atque sic recte Vates noster tribui Benjamin, ex qua primus Rex erat oriundus, ad latus adiungit tribum illam, in qua dabantur robustissimi & potentissimi ciuium, quibus Rex tutabatur rempublicam ab omni hostium insultu. Hinc quantum ad praesentem vocem recte quoque VERSIO GALLICA: *Les Principaux de Iuda ont été leur accablement de pierres.* Tandem ultimo loco collocan-



locantur שרי נפתלי שרי זבולון שרי *Principes Sebulon & Principes Naphthali*. Vbi 6) obseruandum, vocabulum שש hic itidem, vti in vocibus שרי יהודה esse repetendum, quod nimirum in his congregationibus ad Messiam conuersorum temporibus N. T. Iudaeorum comparituri sint *Principes Sebulon, & Principes Naphthali*. Occasionem vero 7) harum tantum adhuc duarum tribuum faciendi mentionem, aliis silentio praetermissis, Vati nostro suppeditatam fuisse censemus ex cantico BARAC atque DEBORAE, quod in concinnando isthoc carmine triumphali in laudem exaltati Messiae nostrum Oratorem ante oculos habuisse multis hucusque testimoniiis confirmauimus, in quo *duarum harum tribuum* singulare robur animi atque fortitudo in profligandis Ammonitarum copiis multis laudibus, prout meruerant, a BARAC & DEBORA extollitur: SEBVLON, inquit, *populus deuouit animam suam ad moriendum, itemque NAPHTHALI super altitudinibus agrorum, Iud. V, 18. conf. quoque antecedens c. IV. v. 6. & 10.* Quantum alias hic versus interpretum ingenium exercuerit, vide, si lubet, in MEINHARDI PLESKEN *priore atque posteriore Exercitatione Philologica de Beniamine paruo*, ex Pf. LXIIX, 28. W. 1719. & 1720. 4.

v. 29.

צוה אלהך עזך עידה אלהים זו פעלת לנו;

Conuersione *Iudaeorum* tanquam primo fine exaltationis Messiae ad dextram Patris sic descripta, subnectit Hieropsaltes sanctum suspirium siue votum ad ipsum Messiam directum pro felici successu & confirmatione huius regni sui spiritualis inter populares suos excitati, cuius sui voti exponit 1) *argumentum* siue *causam mouentem*, 2) *voti summam*. Argumentum mouens depromit Orator facer *ab aequo*, quod Pater coelestis ipsi filio secundum humanam naturam

C 3 iam



iam per exaltationem ad dextram suam dederit plenissimum & nunquam iterum interrumpendum usum Maiestatís & gloriae carni suae communicatae. Nam hic est sensus verborum עָרַךְ אֱלֹהֵיךָ צוֹרֶךְ *Praecepit Deus tuus robur tuum.* In quibus verbis sigillatim exponitur partim *efficiens* huius roboris, partim *obiectum*, partim *actus ipse conferendi.* *Efficiens*, huius roboris est ipse Pater, אֱלֹהֵיךָ Deus tuus, non tamen exclusis personis in sacrosancta Triade reliquis. Dicitur vero recte Deus Pater hic & alibi in litteris arcanis, imprimis Pf. XLV, 8. (qui locus cum nostro prae aliis conferri meretur) Deus Messiae nostri, non quidem secundum naturam diuinam, bene tamen naturam eius humanam, sensu ipsi proprio, nec cum aliis hominibus communi, quod partim Deus Pater hunc suum Filium ab aeterno regem in monte Sionis, hoc est, in Ecclesia constituerit, Pf. II, 6. partim quod eundem in temporis plenitudine ad hoc regnum suum rite administrandum infinitis Spiritus S. donis perunxerit atque exornauerit Pf. XLV, 8. partim quod, peracto in statu exanationis suae redemptionis officio, eum Pater ad gloriam eue-xerit, eandem quidem, quam habuerat apud Patrem ante mundum conditum. Hoc triplici cum primis respectu Deum Patrem poterat Rex David Deum adpellare filii sui iuxta carnem, Messiae. Atque hic est roboris exhibití *causa efficiens.* Sequitur considerandum *ipsum robur* Messiae exhibitum, hoc loco dictum עָרַךְ *robur tuum*; per quod robur intelligimus infinita illa dona Spiritus S. & maiestatem diuinam, Messiae, qua homini, ad rite obeundas officii sui partes, quantum ad possessionem & interruptam aliquandiu atque temporariam vsurpationem, in ipso incarnationis, quantum vero ad plenariam & nunquam iterum abrumpendam vsurpationem, in ipso exaltationis ad dextram Patris momento a Patre coelesti datam, quae alio nomine stylo

Scriptu-



Scripturae adpellatur עַץ מַטֵּה *sceptrum roboris*, Pf. CX, 2. שֶׁמֶן שֶׁשֶׁן *oleum laetitiae* Pf. XLV, 8. כְּבוֹד וְהוֹרָה *honor & gloria* Pf. VIII, 6. in quo Psalmo verba subsequētia: *Dominum constituisti illum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti pedibus eius*, & quae sequuntur ibidem plura, עַץ illud *Psalmi nostri* eleganter explanant; in libris vero N. T. dicitur hoc עַץ, *πάντα ἐξουσία*, *omnis potentia*, Matth. XXVIII, 18. ὄνομα τὸ ὑπὲρ πάντων ὀνόματα, *nomen super omne nomen*, Philipp. II, 9. δόξα, ἣν ἔρχετο πρὸς τὸν κόσμον ἐκ πατρὸς πατρὸς; *gloria, quam habuit ante mundum conditum apud Patrem*, Ioh. XVII, 5. δόξα καὶ τιμὴ, *gloria & honor*, Hebr. II, 9. & quae sunt alia generis eiusdem. *Actus* denique ipse conferendi robur expositum Messiae exprimitur a Vate nostro termino יְצוּר, quod vocabulum quidem, de hominibus vsurpatum, significat tantum *iussit, praecepit*, sed de Deo enunciatum, cuius velle & praecipere est propter potentiam suam absolutam illud, quod praecipitur, exequi, actuque ipso conferre atque dare, saepius in scriptura idem significat, atque *dedit, exhibuit, contulit*: verbi causa *Leu. XXV, 21. וְצוֹתִי אֶת-בְּרִכְתִּי לָכֶם & praecipiam, hoc est, dabo benedictionem meam super vos*: quae phrasis repetitur *Deut. XXVIII, 8. & Pf. LXXXIII, 3*. Sic etiam in *Psalms* alibi hoc sensu vocabulum occurrit, tanquam Pf. XLII, 9. יְצוּר יְהוָה יְחֹוּר חֶסֶד *interdium praecepit, hoc est, exhibuit Dominus gratiam suam*: & Pf. XLII, 9. צוּרָה לְעוֹלָם בְּרִיתוֹ *praecepit, hoc est, exhibet, adimplet, conseruat in aeternum foedus suum*, quemadmodum in priori hemistichio huius versus vox isthaec צוּרָה voce fere aequipollente, שֶׁלךְ *misit*, eleganter explicatur. Atque adeo in praesenti quoque loco Deus Pater dicitur Messiae filio suo praecepisse robur suum, quando ipsi ad dextram suam nunc exaltato etiam secundum humanam eius naturam dedit plenissimum, perpetuum & liber-



berrimum vsum omnium *δουξήματων* diuinorum, quae adhuc secundum carnem in statu exinanitionis suae tantum possederat, vel per intervalla saltem vsurpauerat. Commentarium vero omnium optimum horum verborum dabit nobis in N. T. PAVLVS, quando eandem exaltationem Christi descripturus dicit, *Deum constituisse Christum ex mortuis resuscitatum ad dextram suam in coelestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro; & omnia subiecisse pedibus eius, & ipsum dedisse caput super omnia ipsi ecclesiae, quae est corpus ipsius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet, Eph. I, 26. seq.* Congruenter etiam LV THERVS noster: *Dein Gott hat dein Reich aufgerichtet.* Hoc igitur argumento roboris, & plenissimae super omnes creaturas potestatis atque dominii accepti mouere satagit Psaltes noster Messiam, vt hoc robur suum atque potentiam demonstret operosam in conseruando atque amplificando regno suo spiritali, quod in gente sua tempore N. T. gratiose fit excitaturus. Fere vt eodem argumento datae sibi a Patre omnis potestatis in coelo atque in terra permotus Christus ablegat in omnem mundum ad praedicandum Evangelium suos Apostolos, Matth. XXVIII, 18. 19. Argumento sic exposito, exponit iam 2) *Vates voti sui summam, עזרה אלהים corrobora, o Deus, quod operatus es nobis.* Vbi iterum distincte considerandum tum *subiectum*, tum *obiectum*, tum *actus*. *Subiectum* est ipse Messias, quem alloquitur, eumque vocat *אלהים Deum*, eodem nomine, quo Patrem antea Messiae vocauerat Deum, & quo saepius iam in hoc ipso Psalmo Messiam nuncupauerat, quemadmodum etiam supra *Pf. XLV, 8.* perinde vti in nostro, vtramque Personam diuinam, Patrem & Filium, alteram



ram אלהים, alteram אלהים communi nomine ad communem essentiam & ταυτότητα personarum significandam insigniuerat. *Obiectum* corroborandum est regnum spirituale Messiae, inter Iudaeos iam felicibus auspiciis inchoatum, quod his verbis Orator exprimit לנו פעלת לנו, *quod operatus es nobis*. Sic enim pronomen לנו pro *relatiuo*, quam *demonstratiuo*, quo sensu frequentissime in Psalmis, & alias in sacris litteris a Scriptoribus diuinis adhibetur, v. g. Pf. IX, 16. X, 2. XVII, 9. XXXI, 5. XXXII, 8. CXLIII, 8. Ef. XLIII, 21. Exod. XV, 13. & reliqua, interpretari malumus. לנו פעלת vero cum ה constructum denotare *operari aliquid in usum* & *commodum alterius, siue exhibere alicui opere aliquo commodi quidpiam*, nobis dubitare haud permittunt loca parallela Pf. XXXI, 20. *Quam magna est bonitas tua, להחיים Domine, pacem disposuisti nobis*, hoc est, *in nostrum*, piorum scilicet, *commodum*, כי: *nam etiam omnia opera nostra operatus es siue disposuisti* (voce priori להחיים huius posterioris פעלת להחיים) *in commodum nostrum*. Actum denique ipsum עזרת lubet exponere potius *actiue* & *transitiue*, *corroborare, fulcire, confirmare*, quam *passiue* & *intransitiue*, *robustum esse, roborari, confirmari*. Sic enim hac *actionis* notione idem verbum legitur Prouerb. VIII, 28. *cum firmaret ille nubes superius, בעזרת עינות, cum stabiliret fontes abyssi, & Cohel. VII, 19. החכמה תעזר להחכם Sapientia magis corroborat sapientem, quam decem dominatores, qui sunt in vrbe*. Redit ergo breuibus huc summa voti Prophetici: *Quandoquidem Deus tuus dedit tibi, iam ad dextram suam eleuato, omne robur omnemque potentiam, utere, quaeso, Deus, hoc ipso robore, ipsaque isthac potentia ad corroborandum, augendum & amplificandum*



*dum regnum tuum gratiosum inter nos coeptum.* Vide alias de hoc versu eiusque sensu B. IOH. SCHMIDII Disput. Theol. solennem de *Christi regno gratiae, institutam occasione ἐξηγήσεως dicti* Pf. LXVIII, 29. Argent. 1648. 4. *Eiusdemque Nominations-Predigten* Serm. I. p. 1.

v. 30.

מזיכרך על ירושלים לך יובלו מלכים שי :

Iam a *sine primo* exaltationis Messiae, *conuersione* scilicet *Iudaeorum*, progreditur laudatus scriptor 1) ad *finem eius alterum* explicandum, *conuersionem gentium*, quam describit more Prophetis solenni verbis & phrasibus, a cultu diuino V. T. depromptis. Vtique enim 2) sub symbolo templi Hierosolymitani delineatur nobis, uti passim in Scriptura, ita etiam hoc loco, Ecclesia N. T. ad quam Gentiles erant conuertendi: quo schemate illa nobis exhibetur in V. T. Ies. II, 2. Mich. IV, 1. & in N. T. 1. Corinth. III, 16. 17. 2. Corinth. VI, 16. seq. & Hebr. XII, 22. *Particulam* 3) מ huic nomini praefixam vertimus cum LVTHERO *propter, um deines Tempels willen zu Jerusalem*: quemadmodum & SYMMACHVS *διὰ τοῦ ναοῦ*: itemque ANGLVS: *Because of thy temple at Jerusalem shall Kings bring presents unto the.* Quo significatu Messias dicitur *vulneratus* מפשיענו *propter peccata nostra*, & *attritus* מענותינו *propter iniquitates nostras*, Ef. LIII, 5. Et Deus surgere dicitur, ferreque auxilium משד עניי *propter deuastationem ad afflictorum*, & *propter suspirium pauperum*, Pf. XII, 7. Plura exempla huius notionis praefixi מ dabit NOLDIVS in *Concordant. Partic. Ebraeo-Chaldaicar.* p. 560. n. 29. & GLASS. in *Philol. S. I. IV. tr. I. obseru.* 4. p. 1163. Vt vero constet, quale sit templum, cuius gratia muneribus suis acceleraturi



turi sint reges gentium, scilicet non aedes vel delubra idolorum, sed templum veri Dei, quod typus erat, iuxta obseruationem supra datam, Ecclesiae Noui Testamenti, designat illud Vates noster 4) per verba sequentia עיר ירושלים in Hierosolyma, vti saepius in codice V. T. Particula עיר hoc significatu Scriptores sacri vtuntur. Exempla iterum vide in NOLDIO l. c. p. 698. & GLASSIO l. c. p. 1054. ex quibus vnicus locus nobis sufficit Es. XXXVIII, 20. *Odas meas pulsabimus omnibus diebus vitae nostrae* עיר בית יהוה in domo Domini. Ab ESRA alias hoc templum Domini adpellatur sensu plane eodem היכל בית יהוה Esf. V, 14. 15. & opponitur ibidem להיכל בית בבל templo Babelis. Quod si tamen vſitatam & frequentiore vocis עיר significationem SVpra & hic seruare velis, possis etiam verba vertere: *Propter templum supra Hierosolymam*, i. e. terram siue solum Hierosolymitanum exstructum, sensu vero, vti adparet, a priori parum admodum diuerso. Illi 4) qui ad Ecclesiam Noui Testamenti erant conuertendi, dicuntur hic מלכים Reges, vt denotet Auctor, tantam fore vim, tantamque efficaciam Euangelii, tempore N. T. ab Apostolis & eorum in officio sacro successoribus praedicati, vt non tantum infimae & abiectissimae sortis homines, quibus alias parum in hoc mundo solatii superest, sed & beatissimae pro statu huius aevi, & supremae sortis viri, quales sunt in potestate constituti Reges & Principes, omnibus opibus, honoribus atque deliciis huius mundi diffluentes, bona spiritualia & aeterna, in Euangelio sibi oblata, omnibus bonis temporalibus huius vitae per veram & seriam ad Christum conuersionem sint praelaturi. Hoc tantum adhuc 5) circa vocabulum מלכים annotamus, nomen istud hic adhiberi non *exclusiue*, quasi scilicet soli Reges atque Imperatores, exclusis regni sui primi-



moribus, consiliariis regis atque magnatibus, aliisque plebeiis ciuibus regumque subditis, sed *inclusue*, hoc est, ipsi Reges suaeque simul potestati subiecti tum nobiliores tum ignobiliores ciues atque subditi per veram & seriam conuersionem ad Ecclesiam Christianam sint accessuri. Quemadmodum alias in scriptis Prophetiis passim conuersione gentium in genere per conuersionem Regum atque Principum designatur, veluti *Pf. II, 10. 11. 12.* *Nunc ergo, REGES, intelligite, erudimini IVDICES TERRAE, seruite Domino in timore, & exultate in tremore. Osculamini filium, & quae sequuntur, Pf. LXXII, 10. 11. Reges Tarschisch & Insularum munus adducent, Reges Schebae & Sebae donum adferent. Incuruabunt se illi omnes REGES:* Ut vero adpareat, non solos Reges hic intelligi, sed reges ciuibus suis stipatos, adiicit Vates: *Omnes gentes seruient ei.* Pari ratione describit conuersionem gentium tempore Messiae carne induti IESAIAS *C. XLIX, 22. 23.* *Sic inquit Dominus Deus: Ecce tollam erga gentes manum meam, & erga populos attollam signum meum, ut adferant filios tuos in sinu, & filias tuas super humero adportent.* (En! conuersionem ciuium!) *sintque Reges nutritii tui, & Principes eorum lactatrices tuae, in facies ad terram incuruent se tibi, & puluerem pedum tuorum lingant.* En conuersionem Regum atque Principum! Et iterum *C. LX, v. 3.* *Et ambulabunt gentes in luce tua,* (habes hic conuersos subditos) *& Reges in splendore ortus tui* (habes hic conuersos Reges) *& v. 10.* *Aedificabunt autem filii alienigenae muros tuos,* (En! iterum conuersionem ciuium!) *& Reges eorum ministrabunt tibi.* (En! iterum conuersionem Regum!) Ipsa vero  $\zeta$  saepius iam commemorata gentium conuersione peculiari loquendi formula dicitur *לך ורביר מלכים שי* *Tibi adducent Reges munus.* Ad quam formulam recte intelligendam obseruandum est ex antiquitatibus politicis populorum



lorum Orientalium, quod Reges olim ab aliis Regibus deuicti, vel alias alterius Regis imperium atque maiestatem agnoscere coacti, atque sic tributarii aut vectigales facti, Regi Domino in signum subiectionis adferre munera fuerint soliti. Exempla vide *Iud.* III, 15. 2. *Sam.* VIII, 2. 5. 1. *Reg.* IV, 21. 2. *Reg.* XVII, 3. 2. *Paralip.* XVII, 5. II. XXVI, 8. Ab hoc itaque ritu deuictarum gentium mutuatur Spiritus S. loquendi formulam, tum cultum diuinum piorum generatim in Scriptura V. T. vt *Pf.* LXXXVI, 12. **וּבִילוּ שֵׁי לְמִוְרָה** *adferte donum formidabili*, tum maxime conuersionem gentium ad Christum tempore N. T. & hic & alibi significanter expressurus. Sic eadem phrasis habetur *Ez.* XVIII, 7. **כַּעֲרַת הַזֵּהוּת וּבִילוּ שֵׁי לְיְהוָה צְבֹאוֹת עִם מַמְשָׁה** : *nimirum in tempore illo adducetur munus Iehouae Zebaoth, nimirum populus distractus & expilatus, & reliqua.* Alia uero phrasis, sed eiusdem plane significationis, datur in locis sequentibus *Pf.* XLV, 13. *Filiae Tyri cum munere facies tuas deprecabuntur, nimirum diuites populi, Pf.* LXXXII, 10. *Reges Tarschisib & Insularum munus adducent, & cetera.* Vide locum ipsum paulo ante allegatum. *Ez.* LX, 6. *Turba camellorum obteget te, dromades Midianis & Ephae, omnes e Scheba uenient, aurum & thus portabunt, & laudes Domini annuntiabunt. Zephan.* III, 9. 10. *Tum demum conuertar ad populos labio purificato, vt omnes inuocent nomen Domini, & seruiant illi humero vno. Inde a transitu fluminum Aethiopiae adoratores mei, filia disperforum meorum, adducent munus meum.* Quod si iuuet hic conferre historiam Magorum, ex Oriente ad cunas recens nati Christi accedentium, eique in signum uenerationis & subiectionis aurum, thus & myrrham dono offerentium, *Matth.* II, II. descriptam, exordium complementi huius uaticinii, his ipsis gentium primitiis ad Christum conuersis, quamuis Magos



istos cum ROMANENSIBVS pro regibus agnoscere nolumus, factum fuisse, nulli adfirmare dubitamus. Confer quoque de hoc & priore versu SPENERI *Buß-Predigten* in Append. p. 250.

v. 31.

נער חירת קנור ערת אבריים בעגלי עמים  
מתרפס כרצי כסף בזר עמים קרבות יחפצו:

Quemadmodum vero Vates noster descriptae supra v. 27. 28. conuersioni ad Messiam suorum popularium subiecerat de confirmatione & continuatione huius beneficii votum ad Deum directum v. 29. Sic etiam conuersioni gentium ad eundem Messiam, versu antecedenti expositae, 1) hoc ipso commate subnectit votum de excidio & deletionem gentium, suauissimo Messiae imperio subiici nolentium, sed infesto potius animo eundem & ciues suos aggredientium & oppugnantium. Cumque 2) prior huius iudicii propositio sit subobscurior, alteram, in posteriori huius versus hemistichio occurrentem, priori, quod forte lectori primo intuitu duriusculum videbitur, aequipollentem eiusque עתא עתא עתא esse, non abs re forte arbitramur. Hostes vero 3) Ecclesiae Christi N. T. sub emblemate hostium Ecclesiae Iudaicae V. T. scil. Regis Aegypti & eius subiectorum, concinne admodum depingit Auctor. Regem ipsum Aegypti 4) sistit nobis sub schemate crocodili, animantis in Nilo, flumine Aegypti, maxime illustris atque celebratissimi. Hanc enim Nili beluam per textus nostri קנור *feram arundinis* intelligi, vel inde facile colligitur, quod Aegyptus, & in primis Nilus, in eadem arundinibus in sacro codice abundasse legitur, veluti *Exod. II, 3. & Ies. XIX, 6.* Sub schemate vero crocodili in praesenti textu ipsum Regem Aegypti *allegorice* nobis repraesentari, haud finit nos dubitare locus parallelus apud EZECHIELEM, c. XXIX,



c. XXIX, 3. 4. *Fili hominis, pone faciem tuam contra Pharaonem, Regem Aegypti, & vaticinare aduersus ipsum & aduersus totam Aegyptum, loquere & dic: Sic dicit Dominus Deus; Ecce ego ero contra te, Pharaonem, Regem Aegypti, Draconem magnum, cubantem in medio fluuiorum suorum, dicentemque: Ad me spectat fluuius meus, & ego illum feci mihi, quaeque sequuntur eiusdem generis ibidem plura.* Et c. XXII, 2. 3. *Fili hominis, tolle lamentationem super Pharaonem, Regem Aegypti, & dic ad eum: Inuenulo leoni gentium (hoc est, deuastatori gentium) similis factus es, tuque es sicut draco in maribus, & prodixisti in fluminibus tuis, & turbas aquas pedibus tuis, & conculcando turbas flumina earum (gentium).* Hinc etiam Imperator AVGVSTVS in signum obtentae ab ANTONIO & CLEOPATRA, Aegypti regina, victoriae, *crocodilum* ad palmam arborem catena religatum nummis imprimi iussit, cum hac inscriptione: NEMO ANTEA RELIGAVIT, referente CAUSSINO, in *Polybistore symbolico*, l. VIII. c. 32. & ANTONIO AVGVSTINO de *Numismat. Dial. VI. Sect. 9.* vt doceret, Romano Imperatori tam fuisse difficile, Aegyptios sub iugum mittere, quam piscatori arduum sit opus, crocodilum vinculis constringere. Plura alias de crocodilo dabit WOLFGANGI FRANZII *Historia animalium*, edit. B. CYPRIANI, part. I. c. 26. p. 141. & 769. item BOCHARDVS in *Hierozoico*, part. II. l. V. c. XVI. XVIII. Quemadmodum autem sub schemate crocodili stylo Scripturae modo iam exposito latet ipse Pharaon, Rex Aegypti: sic vicissim eodem Scripturae stylo per *Antonomastiam* Rex Aegypti, tanquam iuratus olim & infensissimus Ecclesiae Iudaicae V. T. hostis, praefigurat, ceu typus, omnes hostes Ecclesiae Iesu Christi N. T. maxime Reges impios atque facino-



facinorosos, quod vel sola probant verba IOHANNIS, *Apoc.* XI, 8. *Et cadavera eorum iacebunt in plateis urbis magnae, quae vocatur spiritualiter Sodoma & Aegyptus, ubi & Dominus noster crucifixus est.* Nec tantum ipsos Reges, hostes Ecclesiae, iugum Christi mollissimum excutientes, vult increpari Auctor noster in praesenti textu, sed etiam ערר עמי כענרי אבריי coetus taurorum cum vitulis populorum. Per tauros, iuencos, & vitulos, potentes viribusque admodum & robore pollentes saepius in Scriptura denotari hostes Christi & Ecclesiae suae, vel sola probat querela Christi in cruce, his verbis nostri Auctoris expressa *Pf.* XXII, 13. *Circumdederunt me iuenci magni, אבריי בשן tauri Basanis (robusti & pingues) cinxerunt me.* Atque sic etiam in hoc loco per *tauros cum vitulis* itidem figurate intelligi hostes Ecclesiae, ipse Spiritus S. optimus verborum suorum interpres subinnuit, dum in fine verborum adiicit vocabulum priorum duorum עמי אבריי *populorum*: ut doceat, per tauros & vitulos sibi intellectos populos Ecclesiae Christi inensos. Hoc tantum 6) nobis non esse praeter eundem putamus, cum illi *tauri vitulique* in textu opponantur *ferae arundinis*, hoc est, ut interpretati sumus, ipsis Regibus atque Principibus, in bellum aduersus regnum Christi exeuntibus, hoc loco per *tauros & vitulos*, *ferae arundinis* adsociatos, speciatim intelligi duces horum Regum atque Principum bellicos, cum militibus gregariis sub horum imperio aduersus Ecclesiam Christi belligerantes. Deinde cum 7) *fera palustris* praecefferit, & huic tauri vitulique ad latus immediate iungantur, de quibus itidem, ut postmodum videbimus, enuntiatur, quod aquas & flumina conculcando turbent, si quis per illos tauros vitulosque *marinos* hic indigitari existimet, nos equidem non habebit admodum aduer-



aduersos. Hos itaque nominatos Ecclesiae Christianae hostes iam porro 8) describit Propheta noster ab *adiuncto* כסה מתרפס ברצי, quae verba mirum in modum torserunt interpretes, & vicissim ab iis in perquam varios sensus fuerunt detorta. Nos, salua aliorum sententia, primum vocabulum *מתרפס*, quod semel tantum adhuc in hac Coniugatione *Hithpaël*, vtut sensu a nostro loco paululum diuerso, *Prov. VI, 3.* legitur, interpretamur: *continuo & incessanter conculcantes*, scil. subintellectis vocibus, quae *עזרס Ezech. XXXII, 2.* adiiciuntur: *נהרות גרים flumina gentium*, hoc sensu: *Increpaferam arundinis*, hoc est, crocodilum in Nilo incedentem, *taurosque eius cum vitulis marinis, nil nisi flumina gentium pedibus suis conculcando turbantes.* In hac vero sententia maximopere me confirmat locus EZECHIELIS allegatus, qui cum nostro collatus omnem difficultatem, tanquam huic parallelus, *vocis מתרפס* mihi tollere videtur. Nam perinde, vt in nostro textu, Rex Aegypti nobis describitur sub emblemate crocodili, in Nilo, tanquam in aula sua, se iactantis. Deinde idem ille crocodilus, siue Rex Aegypti, eadem voce, qua in nostro versu vsus est scriptor sacer, dicitur *רפס conculcando turbans*: vt tamen mens Spiritus S. clarius adpareat, quid per hoc verbum velit intelligi, adiicit diserte admodum *נהרות גרים fluiuos ipsarum*, id est, quod in antecedentibus iam dixerat, *גרים gentium*. Nec obstat, quod in Ezechiele vocabulum *רפס* legatur in Participio *Benoni Coniugationis Kal*, atque adeo *efficienter & actiue*, hic vero in Participio *Coniugationis Hithpaël*, adeoque *passiue & intransitiue* sit omnino explicandum. Constat enim, significationem *Coniugationis Hithpaël* non semper esse *intransitiuam*, sed interdum etiam cum singulari emphasi *actiuam* atque *transitiuam*, ita vt verbum vnum alterumque in hac *Coniugatione* vsur-

E

patum



patum saepius vel actionem, iterum iterumque frequentam, vel plane continuam & incessantem denotet. Exempli gratia *Gen. V, 22. & XVII, 1.* אֶת־אֱלֹהִים *ambulavit continuo & incessanter cum Deo*, 1. *Sam. X, 6. 13.* נִבְּרַח *prophetauit assidue*. 2. *Reg. XIX, 20.* לִפְנֵי הַמֶּלֶךְ *frequententer precatus est. Estb. IV, 8.* הַחֲכִימָן *indefinenter gratiam alterius exoravit.* Vid. GLASSIVS l. c. l. III. tr. 3. Can. 29. p. 839. Atque sic etiam in hoc loco מְתַרְפֵּס *continuo & incessanter conculcans.* Quod si vero nunc rem ipsam huius *translatae* locutionis nosse velis, dicuntur crocodilus, taurique illi marini cum vitulis suis aliorum flumina pedibus conculcando turbare, quando hostes Ecclesiae irruptionibus, vel aliis diris modis, Ecclesiam Christi infestant, turbant, diripiunt atque deuastant, vti belua illa, Nili incola atque habitatrix, Rex Aegypti, dicebatur aliorum flumina conculcando pedibus turbare, quando illorum regna bello aggrediebatur atque expugnabat. Neque hoc loco sine animaduersione β) praetermittendum, quod *Participium* hoc *Coniug. Hitbpaël* adhibeatur non in plurali מְתַרְפֵּסִים, quod antecedens nomen *Pluralis numeri* עַמִּים requirere videbatur, sed in *Singulari* מְתַרְפֵּס conculcans, qua loquendi ratione vitur vulgo Spiritus S. in verbo suo, *distributionem rei* lectori significaturus. Vt adeo hic *Singularis* denotet, & ipsam *feram arundinis*, Regem Aegypti, & *tauros* marinos, duces eius bellicos, simul *cum vitulis*, militibus gregariis, vnumquemuis eorum suo in loco, suaeque in statione, muneri suo infestandi & perturbandi regnum Messiae strenue fortiterque praefuturum. Sed, quae *in quem finem?* respondet Propheta כִּסְפָאֵי בְרָצִי, quae verba vertimus: *ob fragmenta argenti*, vel vt B. LV-THERVS noster elegantissime sensum horum verborum expressit, *uns Geldes willen.* Atque adeo praefixum



☞ notione non IN, sed PROPTER, in scriptis Propheti-  
 cissimè obuia, & hoc in loco rectè, vt mea fert opinio, in-  
 terpretamur. ☞ Exempla oppido multa dabit NOLDIVS in  
*Concordant. Partic. Hebraeo-Chaldaicar. p. 159.* Vocis ve-  
 ro רצו nullibi alias, nisi hoc in loco, occurrentis genuina  
 significatio facile eruitur partim ex radice רצו conquassa-  
 uit, contriuit, attriuit, partim ex Nomine coniugato מרצו  
 conquassatio, attritio, infractio: vt sic cum כסף constructa  
 denotet omnino *fragmina vel fragmenta argenti.* Sic er-  
 go Spiritus S. his verbis causam reddit, cur hostes Ecclesiae  
 hostili animo manuque armata regnum Christi sint aggres-  
 suri, impugnaturi, illudque variis modis vexaturi, nimirum  
 ad proferendos atque amplificandos regni sui terminos, &  
 ad potentiam maiorem, opes atque diuitias ex piorum  
 spoliis acquirendas. In qua sententia nos confirmat, prae-  
 ter exempla Biblica, non tantum experientia quotidiana,  
 quae ob eundem finem in Ecclesiam Christi ab hostibus  
 eius vel clam & cuniculis, vel aperto Marte impetum fie-  
 ri, ad hunc vsque diem docet, sed etiam inprimis canti-  
 cum DEBORAE, huius nostri cantici, quod toties iam mo-  
 nuimus, quasi ἀρχέτυπον siue exemplum. Sic enim DE-  
 BORA Ammonitas, hostes Ecclesiae Iudaicae, in oppu-  
 gnando populo Dei hunc finem opum magnarum, in ist-  
 hoc bello conquirendarum, sibi quidem habuisse praefixum,  
 sed iam omnibus castris exutos, fusos fugatosque penitus  
 hoc sine excidisse, edoctrura: *Venerunt, inquit, Reges, pu-  
 gnarunt, tunc pugnarunt Reges Canaanis in Thaanach iuxta  
 aquas Megiddo: בצע כסף ליה לקרו: (sed) frustrum  
 argenti non acceperunt, Iud. V, 19.* Quis vero dubitauerit,  
 cum Auctor serenissimus huius nostri cantici exemplum  
 sibi imitandum proposuerit hoc ipsum canticum BARAKI  
 atque DEBORAE, per suum כסף רצו *fragmenta argenti,*



idem voluisse intellectum, quod alterius Auctores per suum כצע כסף *fragmentum argenti*: praesertim cum utrobique de vno eodemque hoste, de vno item eodemque hostis sine his Auctoribus sacris sit sermo. Nec est, quod huic interpretationi nostrae obuertas: Si a tauris vitulisque petatum, quod antea notauimus, dicatur verbum *conculcandi*, *sensu metaphorico*, quid sibi iam velint *fragnina argenti*, ab animalibus illis parum aestimata? Respondemus enim cum B. GEIERO nostro in suo *Commentar.* in Psalmos ad h. l. *Propria per catechresin misceri Tropicis, aequae ut in hoc ipso versu vituli iunguntur populis: adeoque precatur Ecclesia contra illorum proteruiam, qui sacra fidelesque contumeliose tractant, solum ut argentum multiplicent, quod tyrannis tam extra, quam intra Ecclesiam competere est in aprico.* Hos igitur hostes truculentos, & nil nisi bella, & mille alia mala aduersus Ecclesiam Christi auri sacra fame meditates rogat 9) Messiam Vates noster, ut increpet נע. Quod *inrepare Dei stylo* Scripturae V. T. imprimis in *Psalmis* nostri Auctoris, non tam est increpatio *verbalis*, quam *realis*, qua Deus impiorum, maxime tyrannorum & persecutorum Ecclesiae, impetum atque molitiones aduersus pios tanquam iustus iudex refrenat, coërcet, & variis plagis poenisque a suis pessimis consiliis atque conatibus desistere cogit: velut homo alios, praua molientes, eisdem severe corripiendo atque increpando, ab instituto suo atque animi proposito reuocare satagit. Spectat huc inprimis locus *Pf. IX, 5. 6. Tu facis iudicium meum atque causam meam, sedes in throno, tanquam iustus iudex. Inreparas gentes & perdis impium, nomen eorum deles in aeternum.* Ex quibus verbis adparet α) increpationem diuinam esse actum Dei iudicis, pro tribunali sedentis, & hominibus iustitiam administrantis, β) ipsam increpationem hanc diuinam impiorum esse



esse realem ipsorum perditionem atque destructionem, quod enim *versu 6.* dixerat primo scriptor sacer **נְעַרְתָּ גוֹיִם** *increpas gentes*, hoc, quo sensu velit intelligi, explicat per *Propositionem Synonymicam* alteram, prioris **אָבְרָתָא רַשְׁעָא** *perdis impium*, **וְנִמְחָסוּ שְׁמֵיהֶם לְעוֹלָם** *Et nomen eorum deles in aeternum*. Et sic *Pf. LXXX, 17.* **אֲבָרַךְ אֶתְּכֶם מִנְעֵרַת פִּיךָ יִאָבְרוּ** *ab increpatione facierum tuarum peribunt*. Conf. etiam *Pf. CXIX, 21. CVI, 9. Ies. XVII, 13. Ier. XXIX, 27. Zach. III, 2.* In cuius ultimi loci interpretatione B. LV THERVS noster Tom. IV. I. G. f. 272. eleganter hanc increpationem Dei explicat: Die Schelten des Herrn ist auch auf der Schrift Weise geredt, welche bezeuget, daß Gott alle Dinge durch sein Wort thue und schaffe, wie der XXXIII. Psalm saget: Er spricht, so geschichts. Also wenn Gott spricht, so ist so viel, er thut und schafft etwas. Wenn er segnet, (das ist, wenn er wohl und gütlich spricht) so thut er wohl, hilft und macht groß, wie im alten Testamente die Güter und zeitliche Haabe Gottes Segen heißet. Wiederum, wenn er flucht, so verderbet er, und machts zu nichte: Daher Fluch heißet Verderben an Güthern, wie Malachias sagt, Cap. II. Ich will eurem Segen fluchen, das ist, ich will eure Güter geringe machen, die ihr durch meinen Segen habt. Also müssen wir dieser göttlichen Rede auch gewehren, daß Gottes Schelten sey so viel, als dem Teuffel wehren und abschrecken, daß er sein Fürnehmen durch Gottes Gnade muß lassen, wie der IX. Psalm spricht: Da du die Heyden spottest, vergiengen die Gottlosen. *Illud tantum adhuc 12) circa praesentem notionem notamus, quod hoc vocabulo נָבַח videatur Auctor noster respectum habere ad versum 29. verbum initiale, tamquam hiatus nostri oppositum, נָבַח praecepit Deus tuus robur tuum.*



Quemadmodum enim τὸ *praecipere Dei* indulgentis atque gratiosi, quod ad h. l. obseruauimus, est actū & reapse homini benefacere atque gratiam suam exhibere: sic contra τὸ *increpare Dei* vlciscentis atque irati, est hominem perdere, destruere, & omnibus bonis exuere atque priuare. Hac vero iam data prioris hemistichii versus nostri interpretatione admissa, lector ipse facile concedet, posteriorem nunc sequentem Propositionem, quod supra iam diximus, priorem illam paulo obscuriorem & intellectu difficiliorem claris admodum verbis interpretari: **בָּזַר עַמִּים קְרוֹבֵי יוֹפְצֵי; dispersit populos, qui delectantur bello.** Vbi n) mutatio personarum, attendendo ad πάλῶς viri θεοπροπέτης, hanc emphasin habere videtur, quod de exauditione suarum precum, in antecedente versus parte factarum, per operationem Spiritus S. in animo suo iam certior factus, gaudio quasi exultans in haec verba erumpat: Votum meum atque precatio mea iam est exaudita, nec opus, vt pluribus verbis de internectione hostium suorum Deo Messiae supplicem. Iam dispersit, & adhuc dispersit, & dispersurus est omnes inimicos suos, bello aduersus se insurgentes eodemque delectantes. Quemadmodum talis de precum Dauidis exauditione in medio precandi actū diuinitus ipsi precanti datae certae animi persuasionis atque fiduciae exempla passim in Psalmis eius occurrunt, v. g. *Pf. VI, 9. sq. XLII, 6. 12. XLIII, 5.* & pluribus aliis generis eiusdem. Ipsum verbum **בָּזַר**, quod *semel* adhuc scilicet *Dan. XI, 24.* de dispersione opum, spoliiorum pradaeque legitur, vti cum voce **פָּזַר** sono, sic etiam significatione sua *dispersit*, bene congruit, significatque adeo, cum **בָּזַר** in *Piel* hic adhibeatur, plenariam hostium aduersus Messiam bellum mouentium, destructionem, direptionem atque interitum. Vt adeo hoc verbum eleganter interpretetur antecedens illud **בָּזַר** *increpa.* Ipsi vero sic destruendi euertendi-  
que



que a Victore nostro Messia dicuntur יחפצו קרבנות *qui delectantur bellis*. Vbi 14) Pronomen אשר *qui*, vt alias, sic etiam hoc loco per ἄλλοις<sup>14</sup> omiffum, adeoque hic subintelligendum esse, vel tyroni linguae sanctae constat. Tandem 15) qui in antecedentibus verbis figuratis, iisque haud paulo obscurioribus, dicebantur *fera arundinis, coetus taurorum cum vitulis, conculcantes* (fluuios populorum) *ob argenti fragmenta*, iam in hac altera, prioris ἐξήγηται<sup>15</sup>, propositione clarius exprimentur, quando dicuntur *bellis delectantes*. Qua ipsa descriptione simul inuoluitur Vatinianum illud & inexplebile hostium aduersus regnum Christi odium, idque infestandi & destruendi inextinguibilis ardor atque desiderium, quod α) non vnum alterumque bellum aduersus illud suscipiant, sed קרבנות *bella in multitudinis numero*, nec β) bella illa tantum suscipiant gerantque aduersus Messiam, sed etiam, quod plus est, & summam inueteratamque animi malitiam atque propensionem denotat, *delectantur* his contra Messiam susceptis bellis, qua phrasi in Scriptura semper non nudus rei alicuius actus, sed summum & indefectum rei illius studium, intentio atque conatus a Spiritu S. significatur. Sic ipse Dauid Ps. CXIX, 35. profiteatur, se *delectari semita praeceptorum Dei*, contra *stultus*, secundum sententiam SALOMONIS, *non delectatur intelligentia*, Prou. XIIX, 2. Atque sic etiam in N. T. Paulus dicit, se *delectari lege Dei* secundum interiorem hominem, Rom. VII, 22. alii contra iuxta idem effatum Pauli, sunt εὐδοκῶντες ἐν τῇ ἐδνικῇ, *delectantes iniustitia*, 2. Thess. II, 12.

v. 32.

יאתרו חשמנים מני מצרים כש תרוץ ירוח  
לאחרים:

Obs. 1. In hoc & subsequentibus verbis pertexit Propheta filium vaticinii de conuersione gentium ad Ecclesiam Christi-



Christianam, & quidem 2) iterum propositionibus duabus *ισοδυναμείσας* In quarum priori 3) conuersio ipsa describitur voce *יאתיר* *venient*, scilicet subintellecto, quod in altera Propositione Synonymica dicitur, vocabulo *לאלהים* ad Deum. Et sic eadem vox occurrit vsurpata de conuersione secunda Iudaeorum lapsorum, quando a Deo ad reuertendum promissione gratiae atque remissionis peccatorum clementer inuitati respondent *לך חננו אתנו לך* *Ecce venimus ad te, Jer. III, 22.* Quo sensu etiam in N. T. vocabulum *veniendi* a Christo adhibetur, quando *Iob. VI, 37.* *Omne, inquit, quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non eiiciam foras.* Ipsi vero conuertendi gentiles adpellantur 4) *חשמנים*. Quae vox cum praeter hunc locum nullibi alias, nec *radix* eius, nec *voces aliae coniugatae* in codice Hebraico legantur, varie a variis interpretibus tum Iudaicis tum Christianis vertitur, quorum opiniones in Commentariis in hunc locum, cui lubitum est, possunt videri. Nos, saluo aliorum iudicio, omnium optime verti posse existimamus, *Magnates* siue *proceres, multo famulitio stipati, ex Arab. حشمت* quod inter alia significat: *Multum famulitium habuit.* Hinc *حشمت* *Vir magni famulitii.* Notatque BVXTORFIVS in suo *Lexico Talmud. Rabbin.* p. 844. quod doctores Iudaici hac voce salutare soleant *Cardinales.* Confer etiam, si placet, de hac voce AVGVSTI PFEIFFERI *Dubia Vexata* ad h. l. p. m. 606. seq. Magis vero ad rem facit adnotasse, quod hoc nomine iterum, vt supra, nomine Regum, virorum inter gentes magna dignitate, opibus atque honoribus illustrium conuersio declaretur, quod etiam deinde complementum huius vaticinii in subsequuta gentium conuersione tempore N. T. satis clare confirmavit. Hi vero. Proceres siue  
Magna-



Magnates ad Christum venire dicuntur 5) ממצרים *ex Aegypto*: qua voce per *tropum* Ἀεροπορίας quasuis gentes barbaras, fidem atque religionem Christianam tempore N. T. amplexuras, intelligi existimamus. Ut adeo Vates hic sibi non contrarietur, quando versu immediate antecedente *feram arundinis taurosque cum vitulis*, hoc est, *Aegyptios* a Christo coarguendos atque delendos esse praedixerat. Nam sub duplici eoque dissimillimo Symbolo sistit Propheta nobis *Aegyptios*. Scilicet versu 31. tanquam symbolum siue schema iuratorum & pertinacissimorum Christi & Ecclesiae suae hostium, atque hoc sensu Aegyptios vaticinatur a Christo omnino delendos. In versu vero praesenti 32. eosdem sistit tanquam symbolum hostium quidem hucusque Christi, sed iam conuertendorum, & ad Ecclesiam Christianam vera poenitentia & fide accedentium. Quod vero hanc gentium conuersionem non alterius gentis illustris, quam *Aegyptiacae*, symbolo & quasi typo repraesentare voluerit Orator, hanc 6) causam subesse putamus, vt sciamus, insensissimos quosque, & mente cum maxime ab Ecclesia Christi alienatos, simul vero auitis maiorum suorum supersticiosi ritibus tenacissime addictos immersosque populos, quo duplici odii aduersus Iudaeos superstitionisque caractere cum in sacris tum profanis litteris Aegyptii nobis passim describuntur, Ecclesiae Christi nomen suum in diebus vltimis, quae est solennis V. T. dierum Messiae adpellatio, esse daturos. Eadem est sententia alterius propositionis, prioris iam expositae plane synonymicae, כוש תרוץ ירוו לאלהים, *Aethiops curre faciet manus suas ad Dominum*. Vbi 7) per *Aethiopem*, perinde vti per *Magnates Aegypti*, neutiquam solam illam speciatim sic dictam gentem Aethiopicam intelligimus, sed sub huius symbolo & schemate per eandem iam allegatam



ἀντρονομασίαν quosuis paganos, in distitis terrarum locis habitantes, notari censemus. Iungit vero *Magnatibus Aegypti* 8) *Aethiopes*, quod hae duae gentes, belli pacisque foedere inter se iunctae, altera alterius opibus & potentia nitebantur, vti constat ex *Ef. XX, 3. seq. Ezech. XXX, 4.5. Nabum III, 9.* Et sic etiam alibi in Scriptura inter gentes ad Christum conuertendas *Aethiopum* quoque fit mentio. Velut idem Auctor noster, de gentium conuersione Zioni gratulaturus, *Memorabo*, inquit, Dei nomine, *Rahabeam & Babel inter cognoscentes me. Philistaea cum Tyro & AETHIOPIA, illa nascetur ibi Ps. LXXXVII, 9.* vid. etiam loca supra allegata *Zeph. III, 9. 10. Ef. XVIII, 1. 9. & XLV, 14.* Ipsa vero 9) conuersio gentium his *verbis figuratis* describitur יררץ יררץ *accelerabit manus suas.* Ad quam phrasin recte intelligendam α) iterum hic ritus populorum orientalium obseruandus est, qui DEVM precaturi vel stantes, vel in genua procumbentes & incuruantes se, manibus ad coelum expansis, preces ad Deum fundere solebant. Exempla vide *Exod. IX, 29. 33. XVII, 11. seq. 1. Reg. VIII, 22. 38. 54. Esr. IX, 5.* Hinc manuum expansio saepius in Scriptura per *Metonymiam signi pro signato pro prece* sione siue *oratione, synonymica* notione, occurrit. Conf. praeter loca iam allegata *Pf. LXXXIIX, 10. Pf. CXLIII, 6.* Deinde β) notandum, adoratione Numinis diuini saepius in sacris litteris totum cultum diuinum, quod adoratio & inuocatio nominis diuini eius primaria pars sit, passim denotari. Sic gentiles, DEVM verum nec agnoscentes nec colentes, dicuntur a IEREMIA c. X, 15. Deum *nec cognoscere, nec nomen eius inuocare.* Atque hinc etiam est, quod gentium conuersio & exinde resultans verus Dei cultus in iisdem tabulis diuinis per *Synecdochen partis pro toto* in variis locis adpellatur *adoratio*, siue *inuocatio Numinis diuini.* Illustris admodum huius rei habetur locus *Zeph. III, 9. 10.* vbi Deus per



OS ZEPHANIAE conuersionem gentium ad Christum tempore N. T. his verbis describit: *Tunc conuertam me ad populos labio perspicio, ut omnes inuocent nomen IEHOVAE, ut seruiant ipsi vno animo. Inde a transitu fluminum AETHIOPIAE adoratores mei, filia disperforum meorum, adducent munus meum: qui locus ZEPHANIAE eleganter illustrat praesentem Davidis. Nam α) & hic, perinde uti in nostro, gentes ad Christum conuertendae listuntur nobis sub exemplo AETHIOPVM, β) ipsa deinde harum conuersio utrobique exprimitur notione ADORATIONIS diuinae. Huc etiam spectat alter ille, priori non minus notabilis, Ef. XLV, 14. Sic inquit Dominus: Labor AEGYPTI & merces AETHIOPIAE, & Sabiorum, virorum longissimorum, ad te transibunt, tuaeque erunt, te sequentur, in vinculis transibunt (ad te,) erga te incuruabunt se, & erga te orabunt. Vbi iterum & nomine AEGYPTIORVM & AETHIOPVM, uti hoc loco, gentes vniuersae; & adorationis & precationis nomine iterum, ut hic, earum conuersio indigitatur. Et quid quaeso est illud suffimentum, de quo DEVS per MALACHIAM c. I. II. Ab ortu solis, inquit, usque ad occasum eius magnum erit nomen meum inter gentes, & in omni loco suffitus adferetur nomini meo, & oblatio munda; nam magnum erit nomen meum inter gentes, dicit DEVS exercituum: quid, inquam, est ille gentium suffitus, nisi adoratio Numinis diuini? vi dictorum Ps. CXLI, 2. & Apoc. V, 8. quid vero illa gentium nominis diuini adoratio, nisi conuersio ipsarum? His ergo fundamenti loco praestructis, quando in praesenti textu nostro AETHIOPIA accelerare manus suas Deo Messiae dicitur, conuersionem gentium tempore N. T. per hoc ipsum designari, neminem amplius dubitaturum esse existimamus. Neque tamen 10) sicco plane pede praetereunda est ἔμφρασις*



vocis תרץ, quod scil. non dixerit Auctor noster תפרש, *expandet manus suas Domino*, sed תרץ *currere faciet*, siue *accelerabit manus suas DOMINO*. Hoc enim summa animi alacritas & promptitudo Gentilium fidem & religionem Christianam, vniuersali verbi diuini praedicatione facta, amplectendi concinne admodum exprimitur. Quam emphasin vocis, a B. LVTHERO nostro pratermissam, exprimit *Versio Gallica* his verbis: *Cus se bâtera d'etendre ses mains vers DIEU*. Et *Anglica*: *Ethiopia shall soon stretch out her hands unto God*. Quo sensu idem vocabulum רץ *currere* de promptissima & festinata quasi Gentilium ad Ecclesiam Christianam accessione adhibetur *Es. LV, 5*. Vbi DEVS Hierosolymam spiritualem sic alloquitur: *Ecce gentem, quam non nouisti, vocabis* (ad te), *& gentes, quae non cognouerunt te, ירצו ירצו ad te CVRRENT*, *propter DOMINVM Deum tuum, & propter Sanctum Israelis, qui condecorauit te*. Alias idem Propheta summum illud Paganorum ad Ecclesiam Christianam accedendi studium atque contentionem significaturus, adhibet vocabulum נרר *adfluent*, verbo quidem & *metaphora* diuersa, sensu tamen cum hoc nostro תרץ penitus aequali: hoc tantum discrimine verbali obseruato, quod ibi *Metaphora* depromta sit a mole aquarum, aggere perrupto, magna vi atque impetu ad locum aliquem adfluentium; hic vero a cursoribus, festinatis & acceleratis gressibus ad locum aliquem tendentibus. Quod dictum iisdem plane verbis repetitur *Mich. IV, 1.2*. Atque sic etiam in N. T. PAVLVS singulare studium atque ardorem animi Galatarum, religionem Christianam & amplectendi, & eandem, antequam a Pseudapostolis seducerentur, magis magisque decenti doctrinae vitaeque cultu excolendi commendaturus: *Ἐτρέχετε καλῶς*, inquit, *CVRREBATHIS bene, quis vos inter-*



*interrumpit, ut non pareretis veritati? Gal. V, 7. Idem* Apostolus ad indefessum in stadio agnitae veritatis coelestis atque pietatis pergendi studium Corinthios suos adhortaturus: *An ignoratis, inquit, eos qui in stadio currunt, omnes quidem currere, sed vnum accipere praemium.* Οὐδὲ τρέχετε, ἢ κατὰ λάβητε, sic CVRRITE, ut comprehendatis, 1. Cor. VII, 24, 26. conf. etiam Hebr. XII, 1. Et eandem hanc, ni fallor, acceleratam, & omnes aggeres omniaque impedimenta sibi obiecta feliciter superantem tum Iudaeorum tum gentium conuersionem PAVLVS intelligit, dum Theffalonicenses adhortatur, *rogent DEVM, ἢ τρέχη ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, ut CVRRAT sermo DEI, 2. Theff. III, 1.* Nec destituit etiam haec Prophetiae nostri, reliquorumque Prophetarum, de festinato post ascensionem Christi inter gentes Euangelii progressu, vaticinia complementum & euentus. Sic enim non modo Christus dicit: *Lex & Prophetiae vsque ad IOHANNEM: ab eo tempore regnum Dei per euangelium praedicatur, & quiuis in illud vi perrumpit: Luc. XVI, 16.* sed etiam PAVLVS iam suo tempore Euangelium totum terrarum orbem peruagatum esse, *Coloss. I, 6.* & inprimis sibi, apud EPHESIOS praedicanti, *magnam & efficacem ianuam apertam esse 1. Cor. XVI, 9.* protestatur. De conuersione vero inprimis AETHIOPVM ad Christum, de qua in praesenti textu praedixit Vates noster, memorabile admodum exemplum viri Aethiopis, Eunuchi & Dynastae Candaces Reginae Aethiopum, qui praeerat vniuersis illius opibus, Hierosolymamque venerat adoraturus, in sacris litteris relatum legitur *Act. VIII, 26. seq.* Is demum, 11) cui supplicaturi, & quem adoraturi sint tempore Messiae incarnati Gentiles, sub AETHIOPVM habitu in praesenti textu nobis repraesentati, dicitur אֱלִיהִי, per quem ipsum



Messiam, saepius iam in hoc Psalmo nostro nomine isthoc diuino insignitum, intelligi, in aprico est.

v. 33.

ממלכות הארץ שירר לאלהים זמר אנני סלך ;

Cum versus iste nihil habeat difficultatis, paucis nos expediemus. Obseruamus autem 1) & in hoc versu, perinde vt in antecedente, Hieropsaltem adhuc agere de futura gentium ad Christum conuersione, quam hoc loco ab effectu laudis atque concelebrationis huius sui indulgentissimi Domini atque Saluatoris, ad quem fuerant conuersae, describit, quemadmodum etiam infra *Pf. CXVII, 1.* idem Propheta noster sub eodem laudis officio, & per eandem *Apostrophem*, hoc illustre gentium conuersionis beneficium nobis exponit. *Laudate*, inquit, *Dominum omnes gentes, celebrate eum omnes populi*, & quae sequuntur. Hunc Psalmum vero de conuersione gentium tempore N. T. intelligendum esse, cum Paulus hanc eodem probet, *Rom. XV, 11.* nemo Christianorum facile dubitauerit. Notanda 2) personarum iterum mutatio. Cum enim versu antecedente in persona *tertia* sermonem suum instituisset Auctor, iam ipsa alloquitur regna terrae siue Gentiles, a persona *tertia* sic delapsus ad *secundam*. Alias 3) propositiones ipsae, excepto leui illo discrimine inter שירר & זמר, quorum illud assa tantum voce canere significat, hoc vero simul admittis musicis instrumentis, supra iam in *parte priori* huius cantici v. 5. a nobis annotato, sunt penitus *ισοδυναμσαι* siue aequipollentes, & tantum hoc *πρόσ* personae loquentis inuoluunt, quod populi illi conuersi omnibus viribus omnique animi contentione gratiam hanc Messiae praedicare debeant, cuius rei exemplum quoque legimus in *Actibus Apostolicis* a LVCA relatum.

Cum



Cum enim laudatus Historicus recensuisset, quomodo Paulus & Barnabas aperte professi fuerint, se iam, relictis ob animi sui duritiem Iudaeis, cum Euangelio ad gentes esse arbituros, iuxta vaticinia V. T. *Gentes, inquit, haec audientes gavisae sunt, & laudibus extulerunt sermonem Domini Act. XIII, 48.* Per אלהים ארצי denique itemque ארצי ipsum Messiam, quem Gentes omnibus laudibus sint excepturae, iterum intelligi, collatio huius & subsequenter versus cum allegato *versu 5.* ubi is, qui illic per campestria vehebatur, hic axis coelorum vehi dicitur, luculenter euincet.

v. 34.

לרוב בשמי שמי קדם הן יתן בקורו קורו עו:

Vt vero gentes ad celebrandum & omnibus laudibus efferendum, cuius imperio se subiecerant, Messiam magis magisque excitarentur, describit iam Propheta noster i) eius *excellenciam atque maiestatem* duplici solique Deo in Scripturis vindicato, & maiestatis utique plenissimo argumento atque opere diuino, quorum *prius* regimen & gubernatio coelorum, *posterius* est fragor, strepitus & emissio tonitruum. *Primum* quod attinet maiestatis diuinae documentum, scilicet rectionem & gubernationem coelorum, generatim hic 2) notandum, quod immortale Numen, cum primo homini statim post eius creationem totius globi terrestris usum atque imperium sponte cessisset, ipsos axes coelestes, & ab iis dependentes motus siderum, nubiumque & aliorum meteorum coelestium atque aetheriorum in haec sublunaria influxus operationesque sibi soli referuauerit, nullo imperio, nullaque potestate homini in *επερχόμενα* siue res istas coelestes relicta, quod nos docet non tantum sedes huius priuilegii atque doctrinae propria *Gen. I, 26. 27. 28.* sed idem hoc ius quasi refer-



referuatum diuinum significaturus Auctor noster **השמים**  
**ליהוה** **שמים** *quot quot*, inquit, *sunt coeli, sunt DOMINI:*  
*sed terram dedit hominibus Ps. CXV, 16.* Atque hinc est,  
 quod in Scriptura passim DEVS suam maiestatem & excel-  
 lentiam hominibus declaret per id, quod coelos inhabitet,  
 eosque pro arbitrio suo regat atque gubernet. Sic idem,  
 qui in priori hemistichio dicitur *Ps. II, 4.* **ישב בשמים**  
*habitans in coelis*, in altero, vt constet, quisnam ille sit, adpel-  
 latur **אדני** DEVS, quasi DEVS, & *habitans in coelis* sit plane  
 vnum idemque. Vid. etiam *Ez. LXVI, 1.* & passim alias.  
 Ad hanc vero excellentiam & dignitatem Messiae clarius ad-  
 huc gentibus delineandam, inducit Scriptor noster hoc loco  
 Messiam non **ישב** *sedentem* vel inhabitantem coelos, sed  
**רכב** *vehum axibus coelorum.* Ad quam loquendi formu-  
 lam eo rectius intelligendam speciatim 3) notandum, quod  
 haec *Metaphora* sit deprompta a regibus atque aliis, opibus  
 ac honore pollentibus, regni alicuius vel imperii Proceribus  
 maxime orientalibus, qui magnificentiam, opes & potentiam  
 subditorum suorum vel aliorum oculis subiecturi, su-  
 blimioribus curribus auro argentoque distinctis, vel phale-  
 raris etiam & ostro stratis equis cum maxima pompa publi-  
 ce veclabantur. Vide in hunc finem cantici DEBORAE,  
 huius nostri, quod toties iam adnotauimus, *πρωτότυπε Iud.*  
 V. versum 10. & exemplum, istud argumentum maxime illu-  
 strans, MARDOCHAL, hoc ipso honoris genere ab AHA-  
 SVERO Rege, pietatem eius remuneraturo, publice atque  
 solenniter exculi *Ez. VI, 6. seq.* Ab hoc more summorum  
 in hoc mundo Regum atque optimatum desumpta *Metapho-  
 ra* ipse DEVS in litteris sacris ad maiestatem eius significan-  
 dam *vehi* dicitur. Sic vocant eum *mox vehum coelis in au-  
 xilium aliorum, & in magnificentia sua, nubibus, Deut.*  
 XXXIII,



XXXIII, 26. mox *vectum Cberub*, hoc est, vt verba subsequen-  
tia docent, *alis venti Ps. XIX*, II. mox *vectum nube celeri*, *Ps.*  
*XIX*, I. Confer etiam huius ipsius *Psalmi nostri* v. 5. vbi idem  
triumphator noster per *campestria vehi* dicitur. Et sane  
nulli dubitamus, quod cum & hic & ibi praecesserit adho-  
ratio nostri Auctoris ad laudes concinendas Messiae, hoc  
argumento, ibi quidem allegato, quod Vector ille laudan-  
dus *vehatur per loca campestria & inculta*, eandem *vehendi*  
dictionem hic adhibere voluerit vir diuinus, vt 4) doceat,  
hunc regem atque Dominum nostrum omni laude & honore  
dignum esse, quod non tantum, vt supra, vehatur in his ter-  
ris per *campestria*, arida & inculta loca, sed etiam, quod ma-  
gis est, per *ipsos coelos supremos & summos*. Sic enim per  
קד שמי שמי summos & altissimos coelos, eosque anti-  
quissimos, quippe iam ab origine mundi, & quidem primo  
loco a Deo conditos atque firmatos, intelligi, alia loca paral-  
lela probant, & quidem quantum ad *prius*, שמי שמי  
*Deut. X*, 14. I. *Reg. VIII*, 27. *Nebem. IX*, 6. 2. *Chron. II*, 5. quan-  
tum vero ad *posterius* קד Ps. LXXXIX, 13. vbi קדם  
sunt *dies antiquissimi*, & *Ez. XIX*, II. קדם sunt *re-  
ges antiquissimi*. Hinc recte iterum verba vertit Interpres  
ANGLICVS: *To him, that rideth vpon the beauens of bea-  
uens, which were of old*. Et GALLVS: *Acelui, qui est mon-  
té sur les Cieux d'ancienmeté*. Inter nostros vero SCHMI-  
DIVS: *Equitanti super coelo coeli antiquitatis*. Hac ipsa  
vero vectura Messiae per *altissimos & antiquissimos coelos*  
summam eius exprimi maiestatem dignitatemque & ex-  
cellentiam, vel inde patet, quod omnes alii Reges, Magna-  
tes atque Principes, quam magnifice, splendide atque opu-  
lenter etiam vel curru vel equo vehantur, vehantur tamen  
tantum per hanc depressam & infimo loco positam ter-  
ram:



ram: hic vero Messias noster per coelos coelorum altissimos vnus & solus. Sequitur *alterum* nobilitatis & excellentiae Messiae nostri argumentum, *emissio tonitruum, horumque strepitus atque fragor*, qui his verbis a Dauide describitur: *וַיִּתֵּן יְהוָה בְּקוֹלוֹ קוֹל* quae verba sic veteri placet: *Ecce dabit tonitru suum, & tonitru quidem vehementissimum*, vt adeo  $\zeta$ ) alii Interpretes duplici modo a mente Spiritus S. in his verbis recedere mihi videantur. *Primo*, quod praefixum  $\beth$  exponendum esse existiment vel in *aufferendi*, hoc modo: *Ecce dabit IN tonitru*, vel in *dandi casu*: *Ecce tonitru suo dabit tonitru magnum siue robustum*. *Deinde*, quod hoc loco *tonitru figurate* accipientes, per id intelligunt verbum diuinum, tempore N. T. Gentibus praedicandum, ejusque efficaciam, hoc sensu: *Ecce Messias dabit illo tempore verbo suo Euangelii singulari & admirandam virtutem atque efficaciam paganorum, quibus illud annuntiabitur, animos illuminandi, regenerandi, conuertendi, sanctificandi, demumque saluandi*: quorsum etiam tendit nota marginalis B. LVTHERI: *Er wird seinen Donner, hoc est, seinem Worte Krafft geben*. Quanquam vero haec interpretatio nihil habeat incommodi, sed *Analogiae fidei*, ipsique adeo rei, alias in Scriptura nobis reuelatae, cum maxime sit affinis, tamen cur hanc de efficacia verbi diuini in praesenti loco sententiam reiiciamus, alteramque de tonitru *proprie* sic dicto huic ipsi praeferamus, haec maxime nos inducunt argumenta. Et quidem  $\alpha$ ) quod iuxta regulam fundamentalem *Theologiae Exegeticae* a significatione vocum propria sine urgente necessitate, qualis hic nulla datur, non sit temere discedendum.  $\beta$ ) quod plane nullus horum verborum: *Dabit in tonitru*, vel in casu tertio, *tonitru suo tonitru robustum*,



sum, videatur esse sensus. Quid enim, quaeso, est *in tonitru*, vel *tonitru dare tonitru robustum*? cum, si Interpretum horum sententiam fouisset Spiritus Sanctus, verba sic fuissent efferenda: *ען יתן בקורו עז* *Ecce dabit in tonitru vel tonitru suo robur*, vti etiam B. LVTHERVS, ommissa posteriore voce *קור*, verba sic vertit: *Er wird seinem Donner Krafft geben*. Accedit  $\gamma$ ) quod hac ratione vocula *קור* priore in loco accipiatur *Metaphorice*, pro verbo *DEI*, in altero vero *עז קור* contra omnem vsu huius vocis biblicum *Metonymice* pro *Adiuncto*, hoc est, pro virtute & efficacia tonitru hoc loco *figurate* accepti, ipsius verbi diuini. Inprimis vero  $\delta$ ) quod hanc phrasin *ען יתן בקורו* neque in *casu sexto*, neque *tertio*, sed *quarto* potius, interpretemur, ipse nos mouet Dauid, verborum suorum, vt nos existimamus, optimus interpretes, qui totam hanc phrasin eodem sensu *Pf. XLVI, 7.* adhibet *נתן בקורו תמוג ארץ* *Cum dat tonitru suum, liquefcit terra*. Vbi recte LVTHERVS: *Das Erdreich muß vergehen, wenn er sich hören läßt, & in glossa marginali: Das ist, wenn er donnert*. Ex quo loco ad oculum adparet, verbum *נתן* cum voce *קור* mediante *Particula ב* constructum, vti alias, hac non praemissa, significare *edere tonitru*. Hoc iam fundamenti loco, vti par erat, substrato, subsequenter verba *עז קור* per *Appositionem*, figuram Grammaticam, describunt illud tonitru a Messia dandum ab *Adiuncto*, quod scilicet tonitru illud non futurus sit qualiscunque et nubibus atris erumpens leuis & mediocris sonus, eod nos Germani, quando coelum tonat, vocamus *ein Bobern in der Lust*, sed intensissimus & homines & bestias percellens vehementissimus tonitruum fragor, quod patrio sermone dicimus *entsetzliche und gewaltige Donnerschläge*.



ge. Et sic per eandem *Appositionem* verba vertit ANGLVS: *Lo he doth sent out his voice, and that a mighty voice.* Quod tandem \*) tonitru hoc loco *proprie*, quam *tropice* pro *verbo Dei* accipere malimus, prater regulam iam allegatam exegeticam, vt & *συνάφεται* textus, inprimis si antecedentia verba respiciamus, hac ratione mouemur, quod tum ipsi DEO, tum Amanuensibus diuinis, maxime DAVIDI nostro, fit solenne, maiestatem & excellentiam diuini Numinis inter alia argumenta demonstrare virtute illa soli Deo propria, pro suo arbitrio atque voluntate *tonandi* in coelis. Sic DEVS *Iobum* his verbis allocutus: *Num brachium sicut DEO, tibi est?* in eodem versu hoc brachium diuinum expositurus pergit: *Et num tonitru, sicut ipse, tonabis?* *Iob.* XL, 4, Conf. etiam c. XXXVII, 34. Sic apud eundem *Iobum* Elihu tonitru Dei adpellat קרל גאורכר *tonitru maiestatis suae*, c. XXXVII, 4. Imo ipse *Iobus* ad maiestatem Numinis diuini demonstrandam tribuit ipsi גבורות רעם *tonitru potentiarum*, ib. c. XXVI, 14. Quod tonitru potentiarum quid, quaeso, aliud est, quam nostri textus קרל עז *tonitru roboris*. Sic HANNA in Oratione sua: *Quantum ad Dominum, conterentur contententes cum illo, עליו בשמים ירעם super illos in coelis tonabit.* Ipse vero David noster pluribus in locis suorum Psalmorum maiestatis & excellentiae diuinae testem citat tonitru, vt *Pf.* LXXVII, 18. 19. CIV, 7. Cum primis verò hoc argumentum maiestatis diuinae persequitur *Pfalm.* XXIX, 3. seq. Vbi lectorem suum adhortaturus ad omnem gloriam Divino Numini exhibendam, קרל יהורו *tonitru Dei*, veluti primario dignitatis & excellentiae diuinae indice atque teste, *septies* (numero sacro) allegato, in eundem lectorem ipse quasi fulgurat, fulminat atque tonat,



nat, vt ad hanc gloriam Deo perfolvendam eundem moueat atque flectat. Exempla vero maiestatis diuinae, excusis ignibus, & strepitu maxime fragoreque tonitruum improuiso saepius e coelo manifestatae vid. *Gen. III, 8. Exod. XIX, 16. 1. Sam. VII, 10. XII, 17. 18.* alibique. Confer quoque de *Tonitru in Scripturis vsurpato* GLASSIVM l. c. l. V. Tr. I. c. 10. p. 1697.

v. 35.

תנו עז לאלהים על ישראל גאותו ועזו  
בשחקים:

Pergit Vates noster in describenda conuersione gentium ab *altero* eius *effectu*, quo omnem potentiam viresque suas sacraurae sint Deo Messiae. Siftit vero in hoc versu partim *officium ipsum* gentium conuersarum, partim *officii rationem atque argumentum*. Ipsum officium his verbis exprimit: תנו עז לאלהים *date robur DOMINO*. Vbi obseruamus 1) roboris imprimis, a gentibus conuersis Messiae offerendi, maxime Prophetam mentionem ideo fecisse, quod sub finem *versus* antecedentis docuerat, quomodo DEVS ad declarandam maiestatem suam det tonitru *robustum*. Huic ergo diuinae quasi dationi *robusti* tonitru, quo dat hominibus documentum suae magnificentiae atque gloriae, aliam opponit in praesenti versu humanam, DEO factam, dationem roboris. Perinde vti *Pf. XXIX, 1.* homines ad *adferendam DEO* ועז כבוד *gloriam & robur*, adhortatus fuerat, eodem, quo in textu nostro, vsus argumento v. 3. seq. quod יהוה קור *tonitru Dei* cum magno terrore & consternatione creaturarum passim audiatur. Cum vero DEO, in se maxime contento, nec vllius rei indigo, nihil proprie a creaturis suis dari possit, qui potius creaturis omni-



bus, quidquid habent roboris vel virium, ipse solus dat, secundum effatum PAVLI *Act.* XVII, 25. hinc dicuntur in Scriptura pii, atque adeo hoc loco gentes ad Christum conuersae, Messiae dare robur, quando *primo*, quicquid habent virium, potentiae atque roboris, praesertim si sint, quod dicitur *Pf.* XXIX, 1. אלרי בני *filiis robustorum*, hoc est, Reges mundi atque Principes, vel alii auctoritate, viribus & potentia praeualentes, a DEO, huius roboris vnico datore, se habere, non vero ex se suisque viribus, gratissima mente atque animo firmiter agnoscant, neque hoc dissimulent, sed *secundo* quauis data occasione publice ore profiteantur atque praedicent, imo *tertio* omnes illas, quantae quantae sint, & animi & corporis & fortunae suae vires, non sibi suaeque gloriae, honori atque commodo priuato, sed promouendae gloriae diuini Numinis, adiumento & incremento Ecclesiae, atque saluti tum corporali tum spiritali sui proximi, ipsiusque adeo possessoris, laeto atque hilari animo impendant atque consumant. Hoc est illud, ad quod Propheta noster adhortatur gentes: תנו עז לאלהי *date robur DOMINO*. Qui DOMINVS 3) iterum nullus est alius, quam de quo in toto Psalmo agitur, Messias. Vt vero gentes conuersas ad id genus officii eo promptius atque lubentius Messiae exhibendum accenderet atque inflammaret, *duplex* subiicit argumentum Auctor diuinus, alterum *duplex* a *maiestate*, alterum a *potentia* huius Messiae. Maiestas Messiae describitur his verbis גארתו ישראל ע *in Israel excellentia eius*, per quam 4) maiestatem & excellentiam Messiae *speciatim* quidem intelligimus *arcam foederis*, quippe quae sic adpellatur ab infelici puerpera, Pinehas uxore, *i. Sam.* IV, 21. 22. & a Paulo *Rom.* IX, 4. quod huic arcae DEVS gloriosissimus suam praesentiam singulari plane ratione se commo-



commodaturum promiserat; hac vero deinde *generatim* per *Synecdochen partis pro toto*, totum *tabernaculum Mosaicum*, imo *totum cultum Leuiticum* diuinitus institutum, & huic tabernaculo Mosaico illo tempore adstrictum, hic intelligi existimamus, quandoquidem illa maiestas atque excellentia Mesſiae manifestata dicitur **עַל יִשְׂרָאֵל** in *Israel*. Iam vero constat ex sacris tabulis vtriusque foederis, summum & immortalem Deum nulli alii genti siue populo gloriam, excellentiam ac maiestatem suam, & qua ratione ipse ab hominibus coli, adorari, & debita veneratione atque laudibus celebrari velit, reuelasse, nisi soli genti Iudaicae. Nam *quae adeo gens magna est*, inquit, **MOYSES**, *Deut. IV. 7. 8. cui Dii tam propinqui sunt, uti DEVS noster, quotiescunque ipsum inuocamus. Et quae gens adeo magna est, cui statuta & instituta tam iusta, sicut lex ista*, (עַל מַהֲרַתָּא **בְּיִשְׂרָאֵל**) *quam ego do vobis hodie*. Et quando **DAVID** iisdem fere allegatis **MOYSIS** verbis, praestantiam gentis Iudaicae prae aliis gentibus describit: *Annuntiat*, inquit, *verba sua Iacob, statuta & instituta sua Israëli: non facit sic illi genti, nec instituta eius norunt*, *Pf. CXLIX, 19. 20.* hunc praesentium verborum sensum **עַל יִשְׂרָאֵל** *excellencia eius in Israel*, omnium optime, ni fallor, ipsemet interpretatur. Quid quod **DEVS** isthoc caractere, quod **עַל יִשְׂרָאֵל** siue *excellencia eius sit in Israëli*, ab aliis idolis & deastris gentilium semet ipse distinguit, quando *Ies. XXXI, 9. Hoc, inquit, verbum est DOMINI, cui focus est in Sione, & cibus Hierosolymis. Alterum argumentum, quo Vates mouere vult gentes ad Messiam conuerſas, ut huic DOMINO suum robur, & quicquid possint aut valeant, vnice dououeant, depromitur a potentia eius, his verbis descripta, **וְעֹזוֹ בְּשָׁמַיִם** & *robur eius in nubibus*. Quae verba*

s) cum



5) cum ex iis, quae *versu antecedente* de potentia Dei, maxime per fulmina, ignes atque tonitrua ex nubibus data incolis terrae prae caeteris manifestata, pluribus adnotauimus, facile possint intelligi, non est, vt iisdem prolixius explicandis iam immoremur. Vnicum tantum 6) adhuc circa haec verba obseruari par erat, quod neutiquam mens Dauidis in his verbis sit, quasi omne robur & omnis potentia Mesiae nostri sit vnice quasi alligata vel adstricta nubibus, extra hanc vero nubium fulgurantium & tonantium sphaeram nullum esse ipsius robur, nullam amplius potentiam. Sed quemadmodum excellentia Dei in antecedentibus dicitur esse *in Israel*, non *absolute* sed *comparate* verba haec intelligendo, quod primaria quasi sedes atque locus sit maiestatis diuinae manifestatae in *gente Iudaica*: sic etiam hoc loco robur & potentia Mesiae maxime dicitur dari *in nubibus*, quod nubes in primis sint quasi fabrica atque sedes, e quibus fulgure & ignibus subinde misis, omnibusque hac ratione creaturis terrore Panico percussis, Mesias prae aliis locis robur & potentiam suam declaret.

v. 36.

נורא אלהים ממקדשיו אל ישראל הויה  
נתן עד ותעצמרת לעם כרוך אלהים:

Notetur hic iterum cum B. GEIERO in *Commentario suo in b. l. 1*) *personarum mutatio subita, siquidem v. 35. praecessit tertia: robur eius, iam vero sequitur secunda: prae sanctuariis tuis, mox iterum tertia: ipse dat.* Hinc vero 2) cum eodem *agnoscimus adfectuum in sanctis vicissitudinem raptusque ineffabiles, rhetorum regulis minime omnium adstrictos.* Consideratione enim maiestatis diuinae, ex institutione cultus diuini in gente Iudaica, & formidabili tonitruum  
frepitu



Atrepitu maxime exsplendescens, in *antecedente versu* commemoratae in admirationem quasi datus Vir diuinus, hanc animi sui cancellis continere amplius nequit, sed animo his verbis, admiratione plenissimis, laxato ipsum Numen illud gloriosissimum & excellentissimum alloquitur **נורא** : ממקדשך **אלהים** *formidabilis es, o Deus, prae sanctuariis tuis.* Sic enim 3) Praefixum **מ** in voce ממקדשך *sensu comparatiuo* PRAE, quam cum aliis interpretibus EX sanctuariis tuis, vel PROPTER sanctuariam tua, vertere malumus. Nam praeter *ordinariam & consuetam* huius Particulae **מ** *Nominibus* praefixae, *Adiectiuo* vel *Participio* praeeunte vel consequente, significationem, a qua temere non est discedendum, nos ad hanc sententiam amplectendam induxit locus parallelus *Es. XLIX, 7.* vbi Aethiopes aliquando tempore N. T. ad Ecclesiam Christi conuertendi & muneri sic DEO adducendi adpellantur populus **נורא מעם** *populo* (scil. alio) *terribilior*, vbi eadem vox **נורא**, perinde vti in nostro textu, cum **מ** constructa necessario notat *Comparatiuum*, *formidabilior* siue *terribilior*. Cum vero 4) tempore Dauidis nulla daretur res nullusque locus in his terris reuerentia, cultu & religione dignior, quam sanctuarium Israelitarum, ipso DEI iussu in hac gente excitatum, recte Dauid, maiorem ipsum Deum altissimum prae omnibus aliis rebus veneratione dignis mereri cultum, religionem, timorem atque reuerentiam lectorem suum edoctrurus, hunc *prae omnibus sanctuariis*, si etiam plura, quam vnum detur, esse profiteretur venerabilem, esse terribilem, esse formidabilem. Alias enim extra DEVM eiusmodi etiam rebus atque locis, quae Deus singulari sua praesentia dignatus est, suisque quasi vestigiis prae aliis locis impresfit, suam quoque ob hanc praesentiam Numinis diuini deberi venerationem, honorem atque animi



religionem, praeter rem ipsam, verba Patriarchae IACOBI docent, qui e somno suo in itinere in Mesopotamiam, in quo DEVM suum suorumque maiorum & viderat, & secum loquentem audiuerat, expergefactus, atque hac coelesti visione inexpectata perterrefactus, inque admirationem raptus **מֵרוֹ נוֹרָה הַמְקוֹרָה הַזֶּה**. *Quan venerabilis, inquit, est locus iste! hic nihil aliud, nisi domus DEI, & hic est porta coelorum, Gen. XXVIII, 17.* Adhibet vero 5) Propheta, vti alias in Scriptura v. g. *Psal. LXXIII, 17. Leuit. XXI, 23. Ier. LI, 51.* de hoc sanctuario nomen *Phuralis numeri ממקדשך*, procul dubio ad diuersas sedes diuersaque huius sanctuarii loca siue receptacula & quasi conclauia veneranda, quibus tamen omnibus sanctissimum Numen sit venerabilius, significanda. Tandem 6) dicitur hoc sanctuarium **מקדשך** *sanctuarium tua, scilicet O DEVS! quod hoc sanctuarium gentis Iudaicae esset quasi domicilium & sedes regia Numinis diuini, vti vim vocis ipse interpretatur DEVS Es. LVII, 15. Sic inquit alius & excelsus, habitans in aeternum, & cuius nomen sanctus: Altitudinem & Sanctum inhabito.* Hinc etiam AS-SAPH idem sanctuarium, vti in *numero multitudinis*, sic etiam a possessore suo potentissimo describit **עַד אֲבוֹנֵי מַקְדְּשֵׁי אֱלֹהִים** *dum, inquit, venirem in sanctuarium Dei, Ps. LXXIII, 17.* Videatur alias de his ipsis verbis AVG. VARENI *Triumphus Dauidis* Loc. XVI. In altera huius versiculi parte 7) iterum fit *personarum mutatio*. Nam a *secunda* iam Vates noster transit denuo ad *tertiam*, docetque lectorem 8) omnis virtutis, roboris atque potentiae, quae modo cunq̄ue detur in creaturis, nullum alium esse auctorem datoremque nisi DEVM verum, DEVM ISRAELIS. Hunc enim eumque vnum & solum esse, qui



qui omne robur omnesque vires creaturis dispenseret, Orator noster 9) *Pronomine Substantiuo* דָּוָה, ipsi antecedenti nomini יִשְׂרָאֵל לֵאמֹר subiuncto, (quod alii per *Pleonasmum* fieri docent, sed falso) subinnuit. Hic ergo DEVS Israelis 10) דָּתַן *dans* siue dare dicitur. Circa quod verbum *tria* notari merentur, *primo*, quod hoc loco alio plane sensu DEVS dicatur dare robur populo suo, quam antecedente *versu* 35. credentes iubebantur dare robur ipsi DEO. Ibi enim, vt vidimus, *improprie*, scilicet per solam agnitionem, celebrationem Numinis diuini eiusque cultum, dicebantur populi conuersi robur dare Deo; hic vero *proprie* populo reuera, quicquid vnquam virium habet atque potentiae, ipse dat atque largitur DEVS. *Alterum*, quod animaduersione dignum, est, quod DEVS dicitur in *Participio Kal dans*, quo ipso perpetuus & incessans *dandi* actus diuinus apud Hebraeos significatur. Et sic sane DEVS ille inexhaustus fons est atque oceanus, ex quo aluco nunquam interrupto mille riui bonitatis, gratiae, atque benignitatis in omnes creaturas, maxime vero in pios atque credentes, promanant. *Tertium* huius verbi momentum atque pondus est, quod populo suo robur & potentiam *dare*, adeoque ex gratia, non aliquo antecedente merito quasi retribuere & compensare dicitur. Id, quod 11) DEVS dat populo suo, adpellatur in praesenti textu עָד וְתַעֲצֹמֶרָה, vbi circa *primum* vocabulum עָד nihil habemus, quod observationem mereatur; notatenim, vt *versu* antecedente iam annotauimus, *robur* atque *potentiam*. Circa alterum vero תַעֲצֹמֶרָה obseruamus, quod, tametsi praeter hunc locum nullibi alias in Scriptura V. T. occurrat, tamen eius significatio genuina facile tum ex *radice* עָצָם, *robustus fuit*, tum ex variis ab hac radi-



ce descendentibus vocibus *coniugatis* possit erui, adeoque eiusdem fere sit significationis cum voce antecedente *וַי*, *robur*, *potentia*, atque *vires*, nisi quod tantum *numerus multitudinis* in isthac voce hoc insuper inuoluat, quod DEVS pro sua munificentia atque benignitate varias & innumeras vires tum animi, tum corporis, tum fortunae populo suo pro ipsius diuersa necessitate atque indigentia liberali manu dispenset. Id quod idem hoc loco non tantum per vocis istius *Numerum Pluralem*, sed etiam per *duas voces synonymicas* siue eiusdem plane significatus, cuius rei exempla in vtriusque foederis Scriptura passim sunt obuia, indigitari, recte omnino existimamus. Sed cui hae vires, cui hoc robur a DEO datur? Respondet textus לַעֲמֹלֵי populo vbi 12) particula לְ, cum (־) *excluso* וְ *demonstratiuo* siue *emphatico* notata, sine dubio notat non qualemcunque, sed peculiarem DEOque quasi proprium non solum ex conuersis ad Christum Iudaeis, sed etiam Gentibus, de cuius vtriusque populi conuersione in antecedentibus Auctor noster pluribus egerat, constantem populum. Hisce ergo conuersis ad se cum Iudaeis tum Gentibus Messias omnia bona omnesque vires spirituales ac corporales munificentissime largiri dicitur. Concludit tandem 13) hoc magnificentissimum suum, & mysteriis de Christo refertissimum carmen Auctor noster his verbis אֱלֹהֵינוּ בָּרֵךְ *benedictus sit Dominus*. Circa quam conclusionem vnicum tantum notamus sanctissimum Vatis nostri θεοπρούτης πάλδος *laetitiae, admirationis & amoris diuini* ex his verbis resultans. Cum enim per totum hunc Psalmum conscribendum animo suo obuersata fuissent ineffabilia & innumera beneficia, a Messia qua carnem filio suo ad dextram Patris exaltato, generi humano affatim exhibenda, inprimis Iudaeorum & Gentium,



lium, ad id tempus inter se discordantium, per veram & feriam conuersionem in vnum corpus, muro intergerino sublato, coalitio & confociatio, pectus diuini huius Scriptoris, gaudii quidem, admirationis & amoris huius sui Mesiae plenum, sed simul egestatis suae spiritualis, quod nihil sibi pro tot & tantis beneficiis praeter laudes & concelebrationem Nominis diuini perexiguam fit super, bene conscium, in haec verba, gratisimae voluntatis signa, tandem erumpit: **ברוך אלהים benedictus sit DOMINVS.** Cuius sanctissimi Vatis diuinitus inspirato **ברוך**, quo hymnum suum coelestem concludit, nos quoque praesentem Commentationem nostram, qua pro ingenii nostri exiguitate qualemcunque facem huius sublimis & ardui cantici Auctori sacro praefere sustinuius, imparis & inaequalis, sed tamen candoris, ingenuitatis & simplicitatis adfectu iam iam concludimus, ex *Psalmo LXXII*, 18. 19. dicentes:

**ברוך יהוה אלהים אלהי ישראל עשר**  
**נפלאות לבו: וכבוד שם כבודו לעולם וימלא**  
**כבודו את כל הארץ אמן ואמן:**





**L**ipſia vult expectari, ſo machts **GOTT** auch ſeinen  
 Knechten,  
 Läßt ſie eine Zeit lang warten, doch das Warten der  
 Gerechten  
 Wird auch wiederum zur Freude, wird zu Troſt und  
 Luſt gemacht, (a)  
 Wenn ſie nach dem Ungewitter wiederum die Sonn'  
 anlacht.  
 Theurer Pfeiffer, warte ferner **Gottes** Güth' in  
 ſeinem Tempel, (b)  
 Sieh in Lehr und Leben ferner aller Welt ein gut  
 Exempel.  
**Gottes** Gnade Krafft und Stärke ſey dein Seegen  
 und dein Theil,  
 So ſagt Du in deinem Sterben: **HERR**, ich warte  
 auf dein Heil. (c)

(a) Prov. X, 28. (b) Pf. XLVIII, 10. (c) Gen. XLIX, 18.

Seinen treuen Praeceptor, groſſen Gönner und  
 Vater in Chriſto Hr. D. Pfeiffern conte-  
 ſtirt hiemit ſein erfröhliches Gemüthe

**Gottfried Benjamin Schäl,**

Landshuta Sileſ.

Evangel. Luther. Pfarrer zu Hanau.





08 A 6423


Sl

R


LDIA

Hi. 75.









24.

COMMENTATIO  
EXEGETICO - THEOLOGICA  
PSALMI OMNIVM  
DIFFICILLIMI LXVII.

CVIVS  
*PARTEM POSTERIOREM*  
CONSENTIENTE  
SVMME VENERANDO THEOLOGORVM COLLEGIO  
IN IPSIS  
SVPRMORVM  
HONORVM THEOLOGICORVM SOLENNIBVS  
*DIE XXVII. APRIL. A. O. R. MDCCXXIV.*  
IN HAC ALMA LIPSIENSI PVBLICE CELEBRANDIS,  
EXHIBET

L. Johannes Gottlob Pfeiffer,  
SACROSANCTAE THEOLOG. P. P. ORDINAR.  
EANDEM

PRO LOCO  
IN LAVDATO THEOLOGORVM ORDINE  
MORE VETERVM OBTINENDO  
*D. XVI. MAII EIVSDEM ANNI*  
SOLENNITER CVM DEO VINDICATVRVS,  
RESPONDENTE  
M. ROMANO TELLERO,  
SS. THEOL. BACCAL.  
ET IN AEDE PETRINA CATECHETA.  
LIPSI AE,  
LITERIS IMMANVELIS TITIL